GTU Library
3 2400 00477 6583

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.

# PROLEGOMENA

IN

# BIBLIA SACRA POLYGLOTTA BAGSTERIANA,

AUCTORE

SAMUELE LEE, S.T.B.,

*Academiæ Inclytæ Fredericianæ Halensis S. T. P., Societatum, Asiaticæ sc. Parisiensis Socio Honorario, Asiaticæ Britanniæ et Hiberniæ Regalis item Socio, Literariæ Regiæ Associato Honorario, Philosophicæ Cantabrigiensis Socio, necnon Linguæ Hebrææ apud Cantabrigienses Professore Regio.*

ET

# NOVUM TESTAMENTUM SYRIACUM,

## PESCHITO DICTUM.

CHURCH DIVINITY SCHOOL of the PACIFIC LIBRARY

ΠΟΛΛΑΙ *μεν θνητοις* ΓΛΩΤΤΑΙ, *μια δ'Αθανατοισιν.*——Multæ terricolis linguæ, cœlestibus una.

LONDINI:

SUMPTIBUS SAMUELIS BAGSTER.

1831

CB42.7
1831

# PROLEGOMENA

IN

# BIBLIA POLYGLOTTA

# LONDINENSIA MINORA.

## PROLEGOMENON I.

### SECTIO I.

*De Scripturis Sacris, earumque revelatione, indole, scopo, &c.*

I. Quærentibus quæ Scripturæ Sacræ sit indoles, quæ fata, atque quis status ejus hodiernus, in primis dispiciendum est, quibus primitùs modis, quibus occasionibus, fuerit patefacta; deindè ad seriora ejus fata progrediendum, atque quærendum, quam crisin Veteres, quam denique recentiores Librarii, instituerint, ejus ad nostra usque tempora servandi gratiâ.

II. In indagandis cujusvis sive gentis sive populi primordiis, huic ferè semper viæ insistere consueti sunt gravissimi Scriptores, ut, statim à parvis initiis incipientes, ad splendidiora quæque progrederentur, donec tandem ad culmen quasi, et fastigium maturitatis ejus virilis, perventum fuerit.* Et ea quidem est rerum humanarum indoles, ut ad majora semper collineet, scientiis artibusque, quæ ad lautiora promovenda tendant, interea adauctis, hominumque commercio longè latéque sparsis. Longè aliter tamen res se habet apud auctores Sacros. Hi namque, nullam humani generis barbariem, nulla mythorum tempora, nulla denique adinventa incrementave humana, agnoscunt; sed omnia, prout à Deo Optimo Maximo primitùs acceperint, ea posteris sarta tecta, nullisque adjumentis exornata, tradiderunt: non modo, ut sacra humanis neutiquam immiscerentur; verum et ea quæ verè Dei fuêrunt, Deo, Deique Populo, ad novissima usque tempora, intemerata servarentur. Nemo, igitur, his ritè perspectis, mirabitur, Scripturam Sacram alio omninò tramite quam qui à profanis itum est progredi; nullasque aut artes, aut scientias agnoscere humanas; nulla eam cujuslibet temporis intervallo incrementa adnotâsse; neque, aut bellicâ virtute, aut philosophicâ subtilitate unquam gloriari. Ejus enim omnia primitùs perfecta, nulli defectui, incremento nulli, obnoxia exstitêre. Nihil dedêrunt, nihil invenêrunt homines, nihil addiderunt, nihil demere ausi sunt. Universa uni Deo unicè tribuerunt, atque proindè sacra servârunt. Quibus igitur cunque modis, humanæ interim, sive artes, sive scientiæ, sive mores, incrementa aut demùm decrementa, acceperint, perindè fuit: scientia divina aliis principiis innixa, vel in eodem permansit gradu, vel, uti Deo Opt. Maximo fuerit visum, luce pleniore collustrata, novas indè vires atque incrementa accepit. Hinc est, ni valdè fallimur, quod apud Scriptores sacros nulli reperiuntur Socrates, Platones, cæterive hujusmodi viri præclari, qui Gentes quondam suâ luce illustrârunt, moribus ornârunt. Nullæ hîc, itaque, quæstiones Academicæ, Philosophicæ, Tusculanæ, obviæ se ferunt; omnia quippe, quæ hominibus de Deo, ejusque erga ipsos voluntate quærentibus, aut prodesse aut obesse potuerint, aliundè exorta esse, apertè docemur: à Dei scilicet voluntatis divinæ revelatione, modo quodam speciali hominibus patefactâ. Sed et res ipsa idem postulat. Nemo enim quærendo, Deum invenire unquam potuit. Opera ejus, uti omnes benè nôrunt, omnium ob oculos proponuntur: sapientiam, potentiam, benevolentiam ejus, cuncti sentiunt, plerique laudant; at nemo est, qui indè ejus de mortalium fatis, de animæ aut immortalitate aut interitu, mentem assequi conjectando, nedum certò scire, queat; quod et Veteres uno ferè ore professi sunt. Si igitur, quicquam de Deo, certò scire mortalibus fuerit concessum; id necessè omninò esse, ut ipse idem patefaceret, res ipsa conclamat: et, si Ille solus hujusce scientiæ fontes aperire potuit, Ille quoque solus eorum incrementa, si qua fortè data fuerint, dedisse oportuit.

III. Ad hæc Religio, siqua vera exstare diceretur, eadem nos sentire coget de omnium fatis, sive docti sive indocti ii fuerint. Plebs enim inculta philosophari, nec unquam potuit, neque poterit. Undè igitur ii ad sectandam virtutem, honestatem, bonitatem, nullis philosophiæ, famæ, consolationibus freti, excitari possint? Eorum virtutibus res angusta domi ut plurimum obstabit; et quum ii longè maximam humani generis constituant partem, rationi haud consentaneum videtur, ut Deus summè misericors, eos omni spe fractos dejectosque derelinquat; verum promissionibus foveat, spe refocillet, fide suffulciat. Si igitur omninò fuit necessè, ut revelatio quædam voluntatis divinæ hominibus facta esset, eorum ut mentes ad cœlestia contemplanda erigerentur; quæramus demum, scientibus nobis quales eæ constitutæ sint, cujusmodi Revelatio ea esse debeat, quæ omnium infirmitatibus remedio esse potuerit.

---

* In recensendâ historiâ Biblicâ, atque exindè Religionis revelatæ, plerique à Mose incipiunt; et quum nonnulla in ejus scriptis ab Ægyptiorum placitis haud valdè aliena reperiant, in id statim incurrunt, ut omnia in ejus Lege invenienda, ab iis derivata fuisse credant: horum in numero Coryphæi, his ultimis demùm sæculis sunt Spencerus noster, Simonius, Michaelis, Eichhornius, et longa præterea series scriptorum, quorum sanè erat meliora videre cæterisque propinare. Faciles enim damus, Israelitas perpaucos in Ægyptum descendisse; atque gens magna factos, Mose duce indè in Canaan intrâsse. Damus, et Abrahamum unum fuisse à Deo vocatum, atque in peculium ejus electum. Quid demum? Non ut indè Religio ortum suum duceret; sed, ut vetus et vera illa Patriarchis primo patefacta, ad posteros in omnibus absoluta transmitteretur. Cum iis Ægyptii sanè potuerunt in nonnullis convenire, cum omnia ii ab Atavis suis acceperant; veruntamen in maximis hi nihil cum Hebræis, Patriarchisve commune habebant. Idololatriæ enim, suisque adinventis, omninò dediti sunt. Cum, igitur de religione verâ loquimur, non de Mosaïcâ tantummodo Revelatione, verba facimus; verum de illâ primævâ, cujus hæc ramus et propago genuina fuit. Eos igitur longè à vero errare asserimus, qui Mosi, nedum Ægyptiis, id adscribunt, quod reverâ multis jam sæculis antè eorum natales, inter mortales propagatum fuit.



37620

IV. Quùm nemo, inquam, extra se, circulosve à naturâ sive potiùs à Deo ipso constitutos, sapere possit; statim patebit, neque quemquam posse novas quasvis accipere notiones, nisi eæ his quoque mediis considerandæ proponantur. Si igitur Deus, mortales de suâ voluntate erudire instituerit, id sive verbis iis jam notis, sive actibus quibusvis, qui rationis conatu inveniri possent, demum effecerit, omninò necessè est. Ponamus præterea, et hoc tàm primo mortalium, quàm posteriori cuivis, æque fuisse necessarium, utroque ad immortalitatem fruendam demùm creato. Et ita omninò statuit Scriptura Sacra. Deus ipse, prout inibi legimus, cum homine primo voluntatem suam, quoad ei usui esse potuerit, verbis communicavit, eamque minis promissionibusque quàm maximis firmavit. In hâc autem lege verbali multa occurrunt, sæpiúsque recurrunt, linguæ involucra; omnia tamen, sive à naturæ ipsius *φαινομένων*, sive ab artibus tum temporis notis, desumpta, atque adeò posteris ea æque ac prioribus, ultimis ac primis mundi hujus incolis, comprehendenda proponuntur. Quod autem ad symbolicum illum docendi morem modumque attinet, qualia sunt acta quædam significantia, in sacrificiis cæterisque ritibus posita, ea sæpè sæpiùs sive ab ipsis actoribus, sive eorum scriptoribus interpretantur, adeò ut is qui in iis hærere videatur, penitùs obcæcatus esse meritò diceretur.

V. A Deo ipso igitur sapienter, næ sapientissimè, provisum est, ut omnes Scripturæ Sacræ figuræ, nullo ferè negotio enodentur: naturæ enim affectus, artesque quæ ad vitam sustentandam necessariæ sunt, omnibus tum temporibus tum locis se sistunt invariabiles atque easdem. Ejus itaque placita universis facillimè se ingerunt: mentesque eorum non modo erudiunt, docent, sed et percellunt, delectant. Plebem eæ simul incultam ac barbaram domant, emolliunt, in altiora evehunt, beatam reddunt: Philosophos, Heroas, virtute plusquàm humanâ, bellicâ, donant: alia iis digniora suggerunt certamina, præmia proponunt meliora, perennioraque, quàm, aut disputationes academicæ, aut victricia unquam suppeditârunt arma. Ita se semper expedit Scriptura Sacra, sive eam, uti antiquissimis quidem temporibus patefacta est, contemplamur, sive posterioribus sub Mose, Prophetis, vel etiam Apostolis, luce majore collustratam. Indoles ejus enim una semper eademque reperitur: humana, philosophica, ethnica, in religione reprobat, damnat: auctoritati verè divinæ ubique innititur; ad miracula disertè provocat, eaque ob oculos omnium, tàm amicorum, quàm inimicorum, doctorum, pariter atque indoctorum, palàm proponit. Longè igitur errârunt viri quidam docti, qui narrationes ejus antiquiores, ad trutinam ethnicorum pensitare voluerunt, easque sub specie quâdam mythorum, locare sategerunt.* In primis enim, Eæ Mythis illis longè sunt antiquiores: rationi igitur longè magis est consentaneum, mythos illos ad Scripturam sacram exigere, quam hanc ad illos. Neque, ut vult Simonius, נְבִיאִים sive Prophetæ, qui publicos quasi oratores egerunt, sub normâ notariorum Ægyptiacorum, qui gentis istius fortassis res gestas scripserint, comprehendi queunt. Illi namque, quæ genti ipsorum futura fuerunt fata, non conjectando, sed minutissimè quæque præsagiendo, apertè dixêrunt: quæ omnia longâ post annorum serie, ita ut illi prædixerant, facta sunt. Et quod maximè mirandum, ea plerumque contra gentis suæ gloriam omninò faciebant: cujusmodi sunt, gentium illa in Ecclesiam vocatio, Israelitarum autem rejectio; Legis Mosaïcæ ritualis origines descripti, simul atque ejus in æternum abrogatio præmonstrata, cæteraque multa, quæ hic loci non est tractare.

VI. Harum tamen rerum exceptiones nonnullæ, à quibusdam iisque haud inferioris subsellii viris, captantur; miraculosas sc. operationes hujusmodi, patrari minimè posse, asserantes: et præterea, hæc si non omnia pleraque tamen, scripto fuisse signata, postquàm res ipsæ ad quas alluditur fuerint gestæ: cætera verò, subtilitatibus quibusdam grammaticis perfacile elui posse. Atqui pace istorum dixerim; Et miraculosas operationes à Deo omnipotente fieri posse; et nihil in eo esse incredibile, ut is qui hominem primo creaverit, cum eo loqui, versari, potuerit; præsertim cum finis quidam, humanas vires longè exsuperans, prospiciebatur: quinetiam id omni fide esse dignissimum, ut genus humanum primitùs hoc modo erudiretur. Ad objectionem alteram; Nemo est qui demonstrare potest, legem Mosaïcam, sc. ritualem, postquàm à novo fœdere in omnibus adimpleta fuisset, de se dixisse, ut postmodùm tandem aboleri necessè esset, nisi antè rem peractam literis fuisset mandata. Judæi enim, qui legis Mosaïcæ exemplaria nobis tradidêrunt, id nunquam testati fuissent: neque, quamdiu fide Judæi manserint, testari poterunt. Moses autem pro his omnibus sapientissimè providebat; et Prophetæ post eum omnes, idem, verbis verò luculentioribus, fecêrunt. Objectionem igitur ipsam, eo consilio tantummodo fuisse cusam asserimus, ut *ὑποθέσει* præstructæ *δουλείᾳ*, ipsamque *ὑπόθεσιν* omninò esse absurdam. Ad ultimam denique, subtilitates istas grammaticales respicientem, quæ et Prophetas nonnullos Chaldaïzantes, uti dicunt, reprehendit; flocci vix pendere, adfirmare nullus dubito. Regulæ namque istæ grammaticales, Hebraïcæ æque ac Chaldaïcæ linguæ plerumque sunt communes: neque loca quæ illi proferunt id postulant, ut potiùs ad Chaldaïcam quam ad Hebraïcam linguam referantur. Sed dato, non concesso, has minutulas omnes ad suas origines omninò compesci posse. Quid demum? Nonnè pura puta Chaldaïca in vetustissimo libro Hebraïco invenienda, et in Geneseos ipsius commentariolis, phrasis †יַעַר שָׂחֲרוּתָא omnium in oculos incurret?‡ Nonne similia in historiâ Jobi amplissimâ segete cumulata? Et, si in cæteris quoque, quid mirum? Abrahamus, gentis Judaïcæ Conditor, ex Ure Chaldæorum in Canaanem commigravit: in ejus itaque familiâ locutiones Chaldaïcæ diutissimè vigere potuêrunt; et indè, ni valdè fallimur, ad longam usque seriem nepotum. Hoc igitur principium firmo talo, vel semel levissimè tactum, stare non potest.

---

* Admodum argutè sanè Baverus, hâc de re disputans, se expedit. Hermeneut. Sacr. §. 83. "Et enim," inquit ille, "quod inter omnes gentes deprehendimus, absque erroris periculo colligimus, illud quoque inter Hebræos extitisse. Jam vero cum constet, omnium populorum historiam antiquissimam esse mythicam; quis exspectet, solos Hebræos hâc regula eximi?" Responderem: Siquidem Hebræi è suo tantummodo cerebello de generis humani fatis edocti, cæteris gentibus religiosiores evasissent, nulla utique dubitationis alea restare potuisset, eos, uti et cæteris accidit, mythis unicè innixos esse. Sed eorum commentarii alia nos omninò edocent: et quum illi nobis ea sistunt, quæ omni procul dubio ex ingenio humano effluere non potuêrunt, rationi consentaneum est ut credamus, Hebræos, eorumque Atavos, Patriarchas sc. populum in omnibus fuisse peculiarem, quicquid, alterâ ex parte, exspectare potuerit Baverus. Quæ Doctiss. Gesenius,[a] cæterique eodem à stirpe, hac de re, incautè coràm protulerint, quùm ea omninò gratis sunt dicta, satiùs est ea gratis negare, quam argumentationis serie falsa esse demonstrare.

[a] Geschichte der Heb. Sprache, &c. p. 26, &c.

† Gen. xxxi. 47.

‡ In hâc suâ Spartâ adornandâ celeberrimus Gesenius, nobisque amicissimus, Professor Hebraïcus Hallensis, etiamnum præ cæteris inclaruit. In suâ Gram. Heb. cui titulus, "Lehrgebäude der Hebräischen Sprache," pp. 134, 370, quædam ad hanc rem spectantia dedit: Lectoremque monuit, ubicunque sc. hujusmodi chaldaïsmi deprehendantur, loca ea seriori ætati esse adscribenda. Regula sat facilis equidem, et facillimè excocta! Atenim verò, exemplorum haud pars minima, è libris iis inibi mutuantur, qui, omnium consensu, antè exilium Babylonicam exarati, atque in manibus gentis Judaïcæ, triti sunt. Omnia, igitur, hâc lege, recentiora atque chaldaïzantia, habenda sunt: testante tamen exemplorum parte haud infimâ, nulla! Huic præterea regulæ innixus, in suâ Linguæ Hebraicæ historiâ, cui nomen vernaculum, "Geschichte der Hebräischen Sprache," &c. p. 26. Jesaiæ Vaticinia omnia à capite XL. ad LXVI. usque, quod et in Commentariis suis iteratum reperitur, tanquam chaldaïzantia, atque ad ætatem seriorem amandanda, damnat. Psalmos quoque, XLIV. LXXIV. LXXXV. aliosque, in quibus tamen hujusmodi notæ inustæ vix inveniantur, eodem adigit omnes. Hæc sibi gratulari, et pro inventis gloriari, sanè potest Professor Doctissimus; demonstrare verò nunquam poterit: quod et, abjectâ hypothesi suâ verè puerili, vix fieri potest, quin ipse, acumine suo naturali beatus, vel ut Cicero dixerit, penè *divino*, statim agnoscat.

## SECTIO II.

*De Linguâ quâ primitùs patefactæ sunt Scripturæ Sacræ, ejusque antiquitate, naturâ, atque usu.*

I. Quæstio sanè est vexatissima, Quæ, scilicet, fuerit Lingua prima inter mortales usitata. Sunt enim qui eam, quæcunque tandem ea fuerit, penitùs jam excidisse arguunt, ejus nihilominùs nonnulla vestigia in omnibus linguis etiamnum superesse.* Sunt, et qui eam fuisse Chaldaïcam sive Syriacam, Latinam, Sancritam, Hebraïcam; et, uti assolet, ii ferè omnes pro hypothesi quam præstruxerint, strenuè affirmârunt. Scripturæ tamen Sacræ, quamvis quæstionem hancce haud dirimant, eo tamen loquuntur more, ut nonnemo inde concluserit, linguam quâ conscribuntur, esse perantiquam omniumque primam ac matrem. Nomina etenim omnia propria, significantia sunt: אָדָם *Adam*, *homo* sc. ita nomen suum accepit, quia ex הָאֲדָמָה *Haadama*, sive *humo*, sumptus est: et חַוָּה Havva, *Eva*, *vivens*, quia mater omnium viventium futura erat; et sic deinceps. Regesserunt tamen nonnulli: hæc omnia ex translatione fieri potuisse, eodem prorsùs modo, ac חַוָּה Eva, à Septuaginta Græcorum interpretibus ζωὴ, sc. *Vita*, reddita est: ex his itaque haud sequi, Hebraïcam, prout eam hodie habemus, linguam, primam fuisse quâ oracula sacra hominibus tradita sunt, nedum omnium primam; sed aliam fortè jamdudum deperditam. Respondemus, Posse nos equidem ita conjecturis ratiocinari, omniaque quæ unquam exstitere, origini cuivis ignotæ assignare: sed, ni valdè fallimur, hujusmodi principia valdè sunt lubrica atque fallacia, neque usurpanda ni ea necessitas aliqua permagna commendaret. Si, namque, rei cujusvis originem sat probabilem præ manibus habemus, non video quare ad alteram nescio quam, esset fugiendum, nisi ignotiora tanquam gloriosiora, cum notioribus commutare fas esset, atque ideò necessarium. Neque mos est, ut Waltonus noster optimè arguit, apud gravissimos Auctores usitatus, nomina exotica ubique transferre. In paucis equidem, id fieri potest; sed nemo sanus in universis ita unquam fecit, aut postea faciet.

II. Sed, neque ratio ulla fortassè reddi potest, quare ad originem quamlibet ignotam in hâc quæstione esset recurrendum. Lingua Hebraïca, spectatis ejus ætate atque circumstantiis, omnium est sanè antiquissima: neque ulla ubivis gentium cum eâ, hoc respectu, comparari potest. Historia igitur pro illâ strenuè pugnat; et in quæstionibus hujusmodi, hic optimus est testis. Idem omninò comprobabunt tum ejus indoles tum natura, quippè quæ omnium est longè simplicissima. Hanc enim, nulla Grammatistarum distortiones vexant, compositiones arbitrariæ turbant; ad naturam in omnibus ita est comparata, ut leges ejus sint paucissimæ, latissimè tamen sese diffundentes. Et quamquam se valdè copiosam, et ad quæque exprimenda aptissimam se præbeat; vix anomaliis unis laborat, aut extra orbem vel semel gyrare reperitur. De punctis ejus vocalibus atque accentibus rixas movere, permulti pro meritis dudum habuerunt; affirmantes, nullam in iis inesse divinitatem, leges nullas inveniendas; sed omnia à Judæis profecta, atque adeò penitùs esse rejicienda.† At pace eorum dixerimus, Hæc omnia ingenio suo quàm veritati esse viciniora. Simplicius quid, uti nobis videtur, vix excogitari potuit, aut ad leges illas generales in omnibus linguis obvias, convenientius. Aliquas in iis occurrere anomalias nemo inficias iverit, sed hæ ad Librarios potiùs, quam ad Masorethas, sive quicunque vocalia primum Textui apposuerint, referendæ quisque oculatior videbit. Hæc tamen divinæ esse originis, nemo sanus unquàm dixerit: neque, ni valdè fallimur, voces ipsæ revelationis præ se ferre inspirationis notas, dicendæ sunt. Hæc media sunt omninò humana, quæ quidem à scopo suo torqueri possunt: et eheu! sæpissimè ita distorquentur: his tamen mediis quibuscunque spretis, quod et gloriosi nonnulli perfractè faciunt, vix restare locum affirmaremus, ubi quis pedem tutò figere queat.

III. Quæstiones præterea nonnullas, de literarum Hebraïcarum antiquitate moverunt quidam, atque magno eruditionis suæ obtentu illustrârunt; sed, uti nobis videtur, haud magni momenti est ipsa quæstio: concesso enim, literas Hebraïcas antiquiores, ad formas Samariticas hodiernas propiùs accedere, Quid demum? Utræque eandem manifestò sapiunt originem, ut et Simonius benè observavit; et si Hebraïcæ hodiernæ quadratiores assumpserint formas, nullam fortè hinc deprehendendam mutationem notabiliorem, quàm eam quæ inter Græcas Latinasque etiamnum conspicimus. Hæc igitur quæstio accidentiam quandam potiùs, quam originem formarum, respicit: atque res cum ita sit, vix mereri, uti nobis quidem videtur, ut tam rigidè, ne dicamus, tam protervè à Viris doctis exagitaretur.‡ De literarum origine tamen, longè nobis videtur verisimilior eorum opinio qui statuunt, eas primitùs fuisse hieroglyphicas, sive picturas res quodammodo repræsentantes: et, quod nobis fortassis singulare, à mundi primis ætatibus fuisse in usu.§ Utrum verò Deus hanc scribendi, sive potiùs pingendi, artem hominibus primus commonstrasset, sive is experientiâ didicisset, non est nostrum definire: hunc autem primævum fuisse scribendi morem, hæc potissimùm suadent: Literas sc. Hebraïcas ita fuisse formatas, ipsa eorum nomina apertè produnt. Alef enim, hodie א, antiquitùs vero ∀, *bovem* atque *ducem* sonuit: quæ et istius caput formâ referre dicitur:‖ progressu tamen temporis, spreto hieroglyphico ejus usu, atque formâ aliquantulum mutatâ, pro aspiratæ lenissimæ notâ usurpata est. Quid simile fortassis de cæteris omnibus dicendum; et si res ita se re verâ habuit; sequetur, minimè esse necessarium ut ad Ægyptios, tanquam artium omnium inventores, pro literarum

---

* Vide Prolegom. Waltoni, 1. § 10, 11. Ubi ex loco malè intellecto, Deut. sc. XXXII. 8. Judæi, uti iis est solenne, probatum eunt, quot olim inter homines fuerint Linguæ. Locus ita se habet. יַצֵּב גְּבֻלוֹת עַמִּים לְמִסְפַּר בְּנֵי יִשְׂרָאֵל qui, ut nobis quidem videtur, ita reddi debet: *Constituit* (altissimus sc.) *terminos Populorum ad* (seu secundum) *enarrationem filiorum Israel*, i. e. quomodo eos enarraverint Scripturæ Sacræ Israelitarum, ita profectò olim dispositi sunt ab Omnipotente Deo. Verbum equidem סִפֵּר, *numerare*, sive *enumerare* sæpiùs sonabit; at quum *enumerare*, idem omninò sit ac res enarrare singulatim prout sunt, hoc demùm sensu acceptum est, ut in Psalmo XIX. v. 1. legimus, הַשָּׁמַיִם מְסַפְּרִים וגו *Cœli enarrantes sunt* &c. i. e. Sol, Luna, Astra, unumquodque in suo ordine Deum apertè quamvis tacitè prædicunt Potentem, Gloriosum. Scriptura igitur sacra, nihil de numero Populorum definivit, eorum tantummodo in Gentes divisiones recitavit, terminosque literis mandavit; sicuti Gen. cap. X. et alibi legimus. Syrorum opiniones, sibimet semper gratulantium, videantur in Prefatione ad Gram. Syr. Georgii Michaelis Amiræ, Romæ 1596. Biblioth. Orient. Assemani Tom. III. P. 1. p. 214. &c.

† Nihil in scriptis Waltoni, Simonii, aliorumque hominum doctissimorum sæpiùs fortassè recurrit, quàm hujusmodi assertio; Literas sc. אהוי, et his nonnunquam literam *y* adscribunt, primitùs apud Hebræos vice vocalium functas fuisse, eodem prorsus modo ac literæ اوي hodie apud Arabes. Hæc tamen omnia, non modo gratis sunt dicta, sed à veritate sunt alienissima. Aliud enim omninò probabit nominum propriorum, apud LXX. interpretes, descriptio, quæ his literis varias tribuere amat vocales: aliud præterea vocum Hebraïcarum in Hexaplari Origeniano exemplari hucusque superstite. Ad Arabum verò, quod attinet, literarum اوي vocalium vice fungentium morem, certissimum est, illos nunquam earum hujusmodi usum agnovisse. Omnia itaque ex opinione, eâque falsâ pendent.

‡ De hâc quæstione videatur omninò B. de Montfaucon in Hexapla Origenis, Auctores præterea à clariss. Wolfio laudati in Biblioth. Heb. Tom. II. p. 623, &c. Critica sacra Baveri Tractat. 1. p. 125. Gesenius Geschichte der Heb. Sprache, p. 140. Lehrgebäude, p. 4.

§ Doctiss. Gesenius, uti mos ejus est, Hebræos, sc. omnia ab Ægyptiis didicisse asserere; literarum usum eos ab Ægyptiis quoque mutuâsse, ex hoc contendit, quod prima earum mentio in Scriptis Mosaïcis circa tempus τῆς ἐξόδου occurrit. Sed, si verum est, scripturam apud Patriarchas, primis etiam Mundi ætatibus, quod et nos contendimus, invaluisse, aliter se omninò res habebit: et ad unicum libri Jobi testimonium eum hâc de re provocare, ejus revincendi erroris gratiâ, satis esse credam, donec rationibus firmis hunc librum inter recentiores recenseri debere, probatum dederit.

‖ Geschichte der Hebraischen Sprache, p. 168. &c.

Hebraïcarum formis antiquissimis recurramus, ut nonnulli hodie viri præclari insolentiùs fecêrunt. Antiquiora enim longè sunt Commentaria Hebraïca, ni valdè hallucinamur, quàm Ægyptiaca ulla monumenta, quæ ad nostra usque tempora pervenêrunt. Illa enim, Avorum atque Atavorum Regum Ægyptiorum, non modo natales referunt, sed et ad ipsius mundi primordia surgunt. Verisimile tamen crediderim, literas syllabicas suas accepisse formas, vel Mosis ætate, vel Prophetarum cum Israelitæ Canaanem tenuêrunt. Sed nihil hâc de re definio. Aliud et nos suadet, literas primis etiam temporibus fuisse in usu: Vix enim esse credibile, dixerim, revelationem hominibus primò factam, traditione quâdam tantummodo orali, sive memoritèr, posteris fuisse mandatam. Cum suis ita nunquam egisse videtur Deus Opt. Max. præsertim, cùm promissiones quædam peculiares, quæ forsàn à Patriarchis vix intelligerentur, memoriæ lapsu aut oblivioni tradi, aut saltèm immutari, facillimè potuerint: cujusmodi est ea Evæ, *Mulieris*, scilicet, semen caput serpentis aliquando contusurum. Sed eæ literis mandatæ fuisse, vel nullo interposito miraculo, sanè potuerunt; omniaque, prout se nobis hodiè sistunt, sarta tecta servari.* De punctis præterea vocalibus, dubitandum forsàn, utrum Masorethæ ea primò excogitassent, an verò à temporibus antiquioribus sumpta, in nonnullis ii emendassent, auxissent. Nullâ igitur exstante veritate historicâ, probabilius nobis videtur, puncta quædam fuisse primitùs picta, eo demum fine, ne ambiguitates ullæ in textum obreperent, lectoresque vexarent. Fieri enim potuit ut voces plures, iisdem formis gaudentes quoad literas, variè tamen sonarent, variasque darent significationes; quæ et sensus varios fundere potuerint, unâ tantum auctoris menti in omnibus satisfaciente. In ejusmodi igitur locis, necessè esset punctum addere: cujus significatu semel monstrato, omnis indè ambiguitas postea tolleretur. Et ita profectò veteres Syræ, qui literas suas (quas Estrangelas vocant) ab Hebræis antè Masoretharum tempora mutuati sunt, facere consuevêrunt; quod eorum Exemplaria Manuscripta vetustissima hodieque ostendunt: ita quoque Arabes hodierni plerumque, in scriptis suis difficilioribus, ne Lectores, in mente eorum assequendâ, fortè labantur. In reliquis, vigente linguâ, nulla offendicula Lectores fatigarent, nullæ linguæ ambages aut involucra, quæ mediocriter doctis haud sint facile excutienda: et idem esse sanè potuit hujus rei status apud Hebræos antiquiores, quum demùm orationem syllabicam componere paulò semet adsuevissent. † Si igitur ita se res habuerit, non sunt puncta vocalia omninò nova: quamquam nemo hodie definiverit, quænam antiqua quænam recentiora sint. Usus tamen eorum perantiquus esse videtur; et, si nullam iis vellemus conciliare auctoritatem divinam, experientia tamen nos satis superque docet, ea plerumque sensum textûs verum fundere, et menti divinæ prorsùs esse convenientia. Ubi nihilominùs meliora dare possemus, locique exigentiis convenientiora, ea dare pergamus, nullo hominum perstricti timore. Quid simile, fortassis, de accentibus statuendum; id namque quod vocalia vocibus, ii sententiis, suppeditabant. Sed, quùm pluries in his erratum fuisse à Librariis certò deprehenditur, cautiores esse debemus in iis adjudicandis, Textuque in partes ad eorum nutum dispescendo. In multis tamen, iisque locis difficilioribus, Discentibus pariter ac Doctis ii auxilio esse possunt: et, quùm Rabbinorum Commentarii, multorumque egregiè inter nostros scripta, sine eorum adminiculo vix intelligi possint; permagni interest, ut eorum in Textum sacrum ditiones atque potestates, perspiciantur, dijudicentur.

## SECTIO III.

*De Sacri Textûs originibus, atque conservatione.*

I. Revelationem illam Divinæ voluntatis, quæ ad nostra usque tempora servata est, à Deo ipso manâsse Scriptores ejus Sacri nos disertè docent, et res ipsa idem declarat. Quomodo tamen Ea inter antiquissimos fuerit servata, nullibi docemur: at cùm enumerationes tot familiarum, gentiumque origines, prædictiones præterea peculiares vires humanas omninò exsuperantes, eæque dignissimæ sanè, ut ad novissima usque tempora immutatæ servarentur, documenta hæc antiquissima sistunt; incredibile planè videtur, uti jam observatum, hæc omnia memoriæ humanæ, haud falli nesciæ, fuisse solum consignata.‡ Argumentari solent equidem nonnulli, Hæc ævo Patriarcharum, quorum dies adeò in longum fuêrunt protenti, conservari facillimè potuisse: atque idcircò, Revelationes illas, homini primo cœlitùs datas, paucorum intervallo ad Mosen usque tradi. Tradi, dixerimus, sanè potuerunt: sed, et in multis, maximisque immutari item potuerunt: immò, nullo humanâ mente stabiliore interposito transmittendi medio, verisimillum videbitur, multas magnasque eas subiisse mutationes. Textus ipse tamen validè reclamat; resque ipsæ literis mandatæ nos apertè docent, rem rei non posse exactiùs respondere, quàm eventus in Novo Fœdere proditi, ad prædictiones, temporibus antiquissimis istis factas, in omnibus quadrant. Iis igitur assentire non possumus, qui arguunt, Revelationem temporibus antiquissimis *ἄγραφον*, sive traditione quâdam servatam, exstitisse: neque possumus quin credamus, hanc doctrinam primò à Judæis eo fuisse consilio cusam, ut auctoritatem traditionum suarum farragini, quam Mishnam vocant, conciliarent; deindè à Pontificiis excitatam, ac redivivam factam, ut Scripturam tandèm sacram *ἔγγραφον*, tineis blattisque deglutiendam consignarent; suaque placita credentibus, tanquàm oracula divina, impunè propinarent. His igitur positis consequetur, documenta vetustissima sancta, quæ librum Geneseως constituunt, non à Mose primùm, sed à Patriarchis ipsis, scripto fuisse mandata. Mosen ea in volumen istud compegisse probabile, næ verisimillimum, est: quod et nominum quorundam mutationes factæ probatum fortassè dabunt; quarum nonnullas hîc adducere operæ existimavimus pretium fore.

II. In primis quibusdam Geneseως capitibus, nomina sc. יְהוָה et אֱלֹהִים, et nonnunquam composita יְהוָה אֱלֹהִים, scripta reperimus: indè, inter recentiores quidam eò adducti sunt ut crederent, hujusmodi quondam documenta fuisse diversa; atque, uti eorum auctoribus fuerit solenne, nomina supradicta fuisse usurpata. Quærendum tamen, si hoc esset verum, qui fit ut in Exod. c. vi. v. 2. 3, dictum fuerit? וָאֵרָא אֶל־אַבְרָהָם אֶל־יִצְחָק וְאֶל־יַעֲקֹב בְּאֵל שַׁדָּי וּשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם׃ "*Ego sum* Jehovah. *Et visus fui Abrahamo, Isaaco, atque Jacobo, in* (nomine) *El Shaddai*, (i. e. Deus Omnipotens) *at nomine meo Jehovah iis notus non factus sum.*" Si namque in documentis istis, Patriarchis olim patefactis, hoc nomen sæpè occurrisset, qui factum est, ut hisce Patriarchis ignotum fuisse diceretur? Sanè non video. Sin autem statuamus, Deum olim sub nomine El Shaddai Patriarchis innotuisse; verùm à Mose, ne fortè Israelitæ sui temporis idololatriæ dediti, putarent eundem non fuisse Deum

* "Moses vero," verba sunt clarissimi De Rossi, "nonnisi ex præexistentibus actis videtur Genesim consarcinasse, primaque ipsa capita antiquiorem, immo primævam orbis ætatem sapiunt, ac simplicitatem primorum hominum." Proleg. p. viii. Ei tamen in omnibus assentire non possumus affirmanti, (p. vii.) "Acta illa modo fuisse abbreviata, modo suppleta, nonnulla in iis addita, emendata, omissa, mutata, hodierna sacrorum librorum conditio manifestissime evincit." Sunt enim plerumque *gratis dicta*, et *petitionem* principii, ut dicunt, facientia. Mutilata videri sanè possunt acta memorata, sed ea vel à Judæorum Synedriâ, vel à Prophetarum discipulis ita fuisse curtata, nemo est, ni fallimur, qui comprobare possit.

† Videsis Prælectiones meas Hebraïcas, p. 14, &c. (Heb. Lec. London, 1827.)

‡ Omnia Mosi revelatione à Sinai patefacta, multi egregiique nominis viri tenuerunt, atque etiamnum tenent. Videatur Biblioth. Hebr. cl. Wolfii, Tom. II. p. 62, &c.

Patriarchis notum ac Mosi in Monte Sinai patefactum, nomen hocce in multis fuisse mutatum, omnia liquidò constabunt; nullaque hâc saltèm de re, nobis se ingeret, aut intelligendi aut credendi, difficultas. Neque fortassis vocem אֱלֹהִים *Elohim*, satis esse duxerit Moses, in creationis historiâ ponere, aut etiam יְהוָה, voce אֱלֹהִים exclusâ; indè enim fortè concludere potuerint Israelitæ, qui et אֱלֹהִים plures inter idola sua numerârunt, aut hos quoque operi creationis incubuisse; aut etiam, hoc à variis demonibus opus fuisse ad finem perductum: atqui, cum nomina hæc pænè fortuitò, unum pro altero sæpè occurrerint, aut etiam, nonnunquam composita, omnes cavillandi prætextus præcisos fore, omnesque omnem Jehovæ tribuere gloriam cogi, statim videbimus. Has igitur mutationes, divinorumque nominum diversitates, his in locis consultò fuisse factas, nulli dubitamus; et, cùm Moses ad has faciendas auctoritate legitimâ valuit, nemo vitio vertat, hujusmodi mutationes in sacro textu olim fuisse factas. Juvabit etiam fortassis, quasdam tum additiones tum mutationes nominum, quæ Mosi, ceu vetustissimorum documentorum Editori divino, tribuendæ videntur, in medium proferre.* In cap. Gen. xiii. v. 3, bis occurrit nomen compositum בֵּית־אֵל *Beth El;* quod huic loco, uti legimus, longo post tempore à Jacobo, cùm à fratre suo in Charanem fugiebat, fuit impositum. Ibidem versu 10, habemus צֹעַר *Zoar*, tandèm verò ita appellatum in diebus Loti. In capite quoque sequenti, sc. xiv. additiones quasdam, ceu Scholia, textui appositas reperimus, quales sunt, (v. 3.) עֵמֶק הַשִּׂדִּים הוּא יָם הַמֶּלַח "*vallis τῶν Siddim, hoc est,* (hodie sc.) *mare salsum.*" Ver. 6. בְּהַרְרָם שֵׂעִיר "*in monte ipsorum Seir:*" cùm mons Seir postea ita appellatus esset ab Esau hirsuto. In versu denique 8vo. בָּלַע הִוא צֹעַר *Bela, quæ* (hodie est) *Zoar.* Hujusmodi multa in Pentateucho colligi possunt, quæ Editoris manus, non ut quidam insulsè affirmârunt commentariolas fictitias,† satis clarè produnt. Additamenta itaque, sive mutationes ejusmodi, magno usui esse potuerunt legentibus, cùm nomina ista aut memoriâ exciderint, aut errorem aliquem parere viderentur: et nobis profectò scientiam aliquam, minimè spernendam, suppeditabunt. Sin autem Moses primus, uti Judæi, et post eos multi, credunt, Revelationem literis mandâsset, Qui factum est, aut, ut nomina Dei propria mutarentur, aut denique vetera hæc locorum nomina retenta fuerint? Operam Mosen atque oleum perdidisse necessè est statuamus, si ita se res habuerit; et vetera novis nullo fine immiscuisse, nisi fortassis ut lectoribus suis bilem moveret: quod eum fecisse nemo sanus crediderit, nedum asseruerit.

III. Posito igitur, probatoque, quoad ejus probatione egere videatur, Verbum divinum semper ἔγγραφον exstitisse, atque adeò ad Mosis usque tempora immune fuisse servatum; nobis dispiciendum nunc restat, quibus demum modis, prout historia ejus nos edoceat, in seriora tempora fuerit mandata, ut indè de ejus statu hodierno certiores facti, sententiam proferre possemus.

## SECTIO IV.

### *De sacrarum scripturarum fatis durante Theocratiâ.*

I. Israelitis ex Egypto jam egressis, legeque à monte Sinai datâ scriptoque mandatâ; vix restare poterit dubium, quin ea, Theocratiæ saltem temporibus, optimo quo servari potuit jure, fuerit servata; legimus enim, Legis volumen Deo revelante à Mose fuisse scriptum, "Scripsit autem Moses," ait Scriba sacer, "universos sermones Domini." Et rursùs: "Assumensque Volumen fœderis legit audiente populo;" deinde, Sacerdotibus filiisque Levi et senioribus tradidit. "Scripsit itaque Moses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam fœderis Domini, et cunctis Senioribus Israel." Itemque: "Et septimo quoque anno legi præcepit coràm populo ... et recondi per Levitas in latere Arcæ."— "Postquam ergo scripsit Moses verba Legis hujus in volumine, atque complevit, præcepit Levitis, qui portabant Arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum istum, et ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei vestri."‡ Undè clarissimè patet, quamdiu staret gens Judaïca, suisque gauderet Levitis atque Regibus, Legem incolumem, omnique injuriæ omninò imperviam, fore: exemplariaque in privatorum usum descripta, haud multum ab archetypo discrepare posse. Si enim, septimo quoque anno ea publicè prælegebatur, uti anteà dictum, vix fieri potuit, quin exemplaria in plebem longè latéque dispersa, haud indè, siqua fortè irrepserint vitia, corrigerentur: atque adeò Codices sacri, ab omni ferè labe immunes, stante republicâ, conservarentur.

II. Postea verò, ingruente inter Judæos idololatriâ, legis exemplar autographum fuisse è loco suo motum apertè docemur, Sacerdotemque, Hilkias nomine, id reperisse. "Cum efferrent," inquit Scriptor sacer, "pecuniam, quæ illata fuerat in Templum Domini, reperit Hilkias Sacerdos librum legis Domini per manum Moses."§ Et hâc quidem occasione, tanto post intervallo, Legis exemplar hocce coràm populo fuisse prælectum,‖ adstantibus tum Hierosolymorum tum Judææ omnibus incolis, apertè dictum est. Legis itaque exemplar, Textumque Sacrum, intemeratum hucusque fuisse servatum, nemo est fortè qui inficias iverit. Atqui, utrum documenta cætera, historica, sc. et lyrica, eâdem industriâ ac religione, custodierint Israelitæ necne, nullibi disertè docemur: eandem tamen de his eos adhibuisse curam, valdè est probabile: Joshua, etenim, postquàm cum iis fœdus coràm pepigerat, sive vetus illud potiùs renovaverat, uti dictum est, verba eorum scripto mandâvit, et in ipso libro legis Dei servâvit.¶ Hinc fortè incœptum, per *librum legis*, omnia documenta sacra, utpotè à viris *θεοπνεύστοις* scripto mandata, inter Israelitas vocitare, atque omni indè veneratione prosequi. Utut tamen hæc res se habuerit, certum est, hujusmodi documenta coràm Domino fuisse reposita, ut et hic innuit Scriba Divinus; apertéque idem deindè dictum est, de lege Regni sancitâ, quùm Saul in Regem Israelitis primus inunctus esset.**

III. Alia præterea nos suadent, hujusmodi commentaria sive res gestas, sive hymnos quosdam divinos, complectentia, pari propémodum cum ipsâ lege honore, fuisse custodita. In republicâ enim Israeliticâ, omnia sub Dei providentiâ speciali gesta sunt. Notarii eorum publici, si qui fortè exstiterint, Deo Abrahami, tanquam Patrono optimo, subditos semet præbuerunt. Ministri itaque hujusmodi sive Tabernaculo, sive Templo, fuerunt dicati, non tanquam humanæ cuivis institutioni, verum ejusmodi quæ omnibus ætatibus umbram quasi, atque exemplar sese exhiberet, degebant. Hujus igitur populi res gestæ, ita ut leges, sæculis futuris sacratæ, doctrinæque destinatæ; vix aliæ esse potuerunt, nisi quæ à Deo ipso, Virorum *θεοπνεύστων* ministerio, traderentur, atque imposterum ab omni labe puræ, servarentur. Longè igitur à veritatis scopo erravit Simonius, *τοὺς* sc. Hebræorum Prophetas, sive נְבִיאִים, ad ethnicorum notariorum officia revocans; cùm ii, quocunque demùm nomine signarentur, ad honores, statui Theocratico omninò accommodatos, erigi debuerint.

IV. Sunt tamen quædam Lectionis varietates huic ætati, ut nonnullis viris doctis placuit, adscribendæ; quæ aliud quidquam suadere videantur, nisi aliquis earum conciliandi modus,

---

* Ejusmodi mutationes Huetius Esdræ tribuit "qui sacros omnes codices ac libros in unum collegit, recognovit, supplevit, nonnullaque in iis vocabula propter vetustatem, ut Huetii verbis utar," inquit doctissimus De Rossi, "et desuetudinem, ignota trita et usitata voce mutavit." Proleg. p. viii.

† Multi sunt in hujusmodi quæstionibus, ceu auctoritati Scripturæ Sacræ elevantibus, infidelium nonnulli Coryphæi, quorum nomina silentio premere satiùs duco.

‡ Exod. xvii. 14. xxiv. 4, 7. Deut. xxxi. 9, 10, 11, 12, 24, 25, 26.

§ 2 Chron. xxxiv. 14.

‖ Ib. v. 30.

¶ Josh. xxiv. 26. ** 1 Sam. x. 25.

reperiri posset. Eæ sunt Lectionis varietates, inter narrationes quasdam historicas, tum in libris Regum et Chronicorum, tum Esdræ et Nehemiæ, necnon Historicorum et Prophetico-rum, sæpè obviæ; quarum catalogum sat longum contexuit Scharfenbergius, in suâ Criticæ Sacræ Capellanæ editione;* quò et lectorem singula desiderantem remittimus. Ex his tamen multæ, uti et Scharfenbergius ipse vult, oscitationi Librariorum sunt tribuendæ; pars verò longè maxima, non est dissimulandum, Auctoribus ipsis, est referenda. At enim verò, his varietatibus positis, vix sequi, uti nobis videtur, narrationum istarum fides ullo modo fore sublevata. Idem sanè in mente habere potuerunt, posterisque dare, earundem omninò rerum Scriptores, variis alioquin verbis, vario et orationis filo atque ductu, utentes. Hi namque minutiora quæque, illi verò generaliora, scripto potuêrunt mandare, scopo utriusque interea eodem manente: quod et in Evangeliis largâ manu factum deprehenditur. Neque cuiquam miraculo esse debet, auctores sc. Sacros, utpotè literis minimè deditos, artiumque dialecticarum expertes, de rebus quam verbis fuisse magis solicitos. Idem fortè dicendum de varietatibus istis, quæ in Psalmis nonnullis deprehenduntur. Rex enim David, aut quisquis is fuerit, qui odas in historiis obvias, in Templum primus introduxerit; auctoritate sanè eâ polleret, quâ, aut contractiones aut additiones quasdam, musices fortassis studio adductus, iis inferat, non est quod quis hæreat dubius. In antiquiore lectione, sensus sæpiusculè clarior esse videtur: sed vigente linguâ Hebraïcâ, ellipses hodiè obvias, Israelitis nullo negotio fuisse intellectas credibile est. Utraque igitur lectio, in hujusmodi locis, genuina censeri potest: et, quùm altera alteri sæpè interpretationis vice fungi possit, nobis gratitudini, quam vituperii loco, haberi potiùs debet. Præterea liberè scribentibus hoc esse ingenium, hunc modulum, res ipsa monstrabit. Mendacibus necessè est verbis cavere: in verba jurare magistri, nec vel literulâ ab iis, in minimis discrepare. Scriptores verò sacri, quamvis se liberos quoad literarum ductus, ab alterutris profiteantur; in rebus tamen mirificè conspirant: nulla apud eos sententiæ varietas vel in minimis, quamvis ii sententiosissimi sint, deprehenditur: Uni Deo, uni Spirituali Messiæ, se unicè fuisse deditos, unius Spiritûs luce collustratos, eorum commentaria luculentissimè commonstrabunt.

V. Dato igitur, aliquas inter Scriptores Sacros discrepantias olim exstitisse, aut etiam injuriâ temporis in Commentaria eorum irrepsisse; minimè indè eorum auctoritas aut conficitur, aut usus imminuitur: easdem adhuc res gestas narrant, ejusdem Dei notitias, easdem ejus promissiones nobis ac Veteribus propinant. Reipublicæ verò Israeliticæ temporibus, harum varietatum fontes atque origines Sacerdotibus fuisse notas verisimile videtur; atque adeò si eæ veritati obfuturæ illis fuerint visæ, vero est simillimum, nullâ morâ demerentur: et idem prorsùs dicendum de Evangelistis. Si igitur stante Republicâ eâque Theocraticâ, hujus generis varietates nihil veritati, nihil fidei obesse potuerint; neque eæ hodiè, credentibus terrori nè, omnia distraherentur, esse debent.

VI. Ad hæc, transpositiones quasdam, his etiam temporibus fuisse factas, sunt qui autumant.† At, minimè mirandum, Veteres, scrupuloso illo quo Recentiores tenentur rerum ordine, non fuisse strictos; præsertim, cum Orientales nationes ad hodiernum usque diem, extra limites vagari assueti sint, adeò ut hystera protera nonnunquam collocare videantur; et plura ingenio lectoris ordinanda relinquere, quàm quivis apud nos prudens relinquere ausit. Hæ præterea transpositiones, uti vocantur, plerumque ab ingenio asserentis pendent: neque aliundè origines ducunt, quam ex curiosâ atque lubricâ rerum indagine. Speciosiora igitur hæcce, Interpretis industriæ atque judicio relinquenda sunt: quæ, si obvia sese sistant, suis locis nullo negotio digerentur: cæteroquin, utpotè neque fidei neque bonis moribus, adversantia, in medio prout reperirentur, maneant.

## SECTIO V.

### *De statu sacri Textûs, Judæis in Babyloniâ degentibus.*

I. Quæ fata subierit Legis exemplar *αὐτόγραφον*, num id in Babylonem asportatum fuerit, an cum Templo sub Nebuchodonosore in cineres fuerit redactum, nemo definire potest. Sunt tamen qui putant, vel Regem Joachimum, vel è Sacerdotibus quendam, id in Babylonem secum portâsse, atque sartum tectum inibi servâsse, donec tandem in Palæstinam rursùs redierint Judæi; hoc præterea ipsum fuisse exemplar, quod Ezra coràm populo legisse perhibent sacræ literæ.‡ Sed, pace tantorum nominum dicendum: hanc sententiam nullibi fundunt Scriptores Sacri; neque, ni valdè fallimur, eâ opus esse, ut indè fides Textûs integritati adstrueretur. Multa exemplaria, tùm à Sacerdotibus, tùm à Plebe Judaïcâ, in captivitatem fuisse deportata, nemo sanus inficeretur: et quum hæc necessariò cum *αὐτογράφῳ* fuerint sæpiùs collata, atque indè magni habita, nullum utique exstare potuit periculum, ut Textus authenticus in Babyloniâ periret. Captivitas ista præterea septuaginta tantum annos duravit: multi idcircò qui Templum primum viserant, fundamenta secundi quoque jacta videbant. Nemo igitur putet exemplaria illa, aut ita vetustate fuisse exesa aut usu trita, ut ex iis exemplar aliquod omni fide dignum, atque omnibus imposterum consulendum, describi non potuerit. Ad hæc, Judæorum quidam ad honores maximos in Babylone pervenêrunt, iisque in Aulâ ipsâ Regiâ usi sunt. Si itaque ii, de Commentariis Sacris suis haud fuissent negligentiores, omnem sanè nacti essent opportunitatem, quæ ad ea aut servanda aut restauranda necessaria fuerit. Daniel in Jeremiæ vaticiniis exercitatissimus evasit, et de lege Mosaïcâ sæpiùs mentionem fecit. Ezram fuisse Scribam in Lege doctissimum, Sacræ literæ ipsæ testantur; eumque, postquàm Judæi in avitas sedes redierant, Levitas Chorosque Templo addictos, in ordines suos ad Scripturarum literam,

---

* Tom. i. pp. 25—56. Aut si magis placeat, pleraque dabunt Biblia Hebraïca à Johanne Jahn, Viennæ an. 1806, in lucem emissa. At quùm Scharfenbergius non paucas addiderit ex suo penu observationes, haud abs re fore si earum quasdam ad trutinam hic revocemus. In p. 45. (in notis) "*Librarios*," inquit, "*sæpissimè pro suo arbitrio textum immutasse*; his specialibus nititur." Sequuntur dein observationes quindecim articulos comprehendentes, quæ, omnes ad unam, *petitionem principii*, uti dicunt Logici, produnt: unam tantum, exempli gratiâ, dabimus, (p. 50.) "Jes. 37. 18. את כל הארצות admodum incommode," inquit ille, "cum sequatur ואת ארצם, rectius 2 Reg. 19. 17. את הגוים." "Criticus," additur, "hunc versum in textu Jesaiæ ad vers. 11, conformavit, quippe cujus argumentum in hoc versu repetitum est." Textus in utroque loco ita se sistit: 2 Reg. 19. 17, אֶת־הַגּוֹיִם וְאֶת־אַרְצָם . . . הַחֲרִיבוּ. Jes. 37. 18, אֶת־כָּל־הָאֲרָצוֹת . . . הַחֲרִיבוּ וְאֶת־אַרְצָם Observatio igitur Scharfenbergii in id collimat, quod אַרְצָם in secundo loco, incommodè post הָאֲרָצוֹת locum sibi sortita sit. Dicimus, et pari ratione vocem *ποταμῷ* certè, si non *πάντες*, in Evang. Marc. i. 5, collato cum Matt. iii. 6, incommodè locum obtinuisse; et hujusmodi emendatio critica, ex cerebello Criticastri cujusvis prodiisse dici possit. Ita se habet versus in Matt. *καὶ ἐβαπτίζοντο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ὑπ' αὐτοῦ ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν*. Sed in Marc. *καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ ὑπ' αὐτοῦ ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν*. Sed quis sobrius, ejusmodi crisin Novi Fœderis Textui, applicandam dixerit? Neque quid nobis incommodi, in voce אַרְצָם post הָאֲרָצוֹת videtur inesse, næ loquendi apud Orientales specimen satis aptum elegansque præ se ferre. Ii namque, vocem quamlibet bis in eâdem sententiâ aut phrasi occurrere facientes, necessè ducunt ex his uni, tropicum aliquem sensum adscribere, aut demum aliis vocalibus ornare, cujusmodi sunt חָמֵר et חֹמֶר Gen. xi. 3. Sic etiam in Persicis دردِ کشیدن bis eodem contextu occurrens, in alterutro loco aut دردِ aut دردِ necesse erit proferre. Videatur Gram. Pers. Jonesii nostri, Edit. 9, pp. 204, 221. Necessè igitur erit, הָאֲרָצוֹת idem significare debere in Jes. ac הַגּוֹיִם in 2 Reg. supra citatis: ni fortè quis, in אַרְצָם figuram Hendiadyn, i. e. *ἓν διὰ δυοῖν*, cognoscere mallet. Hæc fortassè crisi Scharfenbergii satisfacient.

† Dissertatio generalis Kennicotti, parag. 23, &c.

‡ Inter hos Doctiss. Kennicottus adnumeratur: Dissert. Gen. Blanchini in Vulg. Lat. Vindiciæ, p. xiii.

redegisse. Undè fortè concludere licebit, Exemplaria sacra in Babyloniâ minimè in deterius cedere potuisse; verùm suum pristinum in omnibus retinuisse vigorem.

II. Sub idem tempus Judæi, hîc indè in Babyloniâ dispersi, se ad formas literarum Chaldaïcas quadratiores assuefecisse videntur; et, si eorum dictis fidem faciamus, Ezram Scripturarum *ἀπόγραφον* formis Chaldaïcis, Judæorum in usum exaravit. Sed, cum nulla hâc de re historia ad tempora nostra descendit, veritati fortassè magis erit consentaneum statuere, Ezram saltèm exemplar scripturarum novum authenticum, publicâque auctoritate sancitum, edidisse: et, siqua literarum quoad formas discrepantia verè exstitisset (quod fortè dubitandum,) eum in illas inclinâsse, quæ Populo tunc temporis fuissent notiores. Argumenta ista à multis trita, de vetustate sc. formarum Samaritanarum parvi facimus, eò quod vix ultrà varietates quasdam malè determinatas progrediantur, et nullam præterea sibi veritatem historicam vindicare queant. Waltonus verò noster, qui maximâ hæc diligentiâ doctrinâque tractavit, ex argumentis *à priori* uti dicunt, necnon auctoritate Judaïcâ, sumptis, aliter statuit. "Quod verò," inquit, "dicitur, 'datam esse legem temporibus Ezræ non tantùm scripturâ sed et linguâ Assyriacâ,' non intelligendum est quasi Ezra Legem scripserit in hâc linguâ: sed cùm durante Captivitate Judæi tam linguæ quàm characteris proprii obliti fuissent, et Legem quidam tam linguâ quàm charactere Chaldaïco sibi descripsissent, Ezram Legem linguâ Hebraïcâ, charactere verò Assyriaco, scripsisse; relicto Cuthæis charactere Hebraico, et rejectis exemplaribus quæ linguâ Chaldæâ apud plebem invaluerant: ut explicat R. Japhe. Eodem cap. I. Tract. *Sanhedr.* R. Jose Ezram cum Mose comparans, ut qui dignus esset per cujus manus daretur Israëli nisi Moses eum præcessisset, addit; *quòd licèt non sit data Lex per manum ejus, mutata tamen est* per manum *ejus scriptura, cùm vocetur nomen ejus* אשורית *Assyriaca, quia ascendit cum eis* מאשור, *ex Assyriâ.* Ubi apertè videmus," addit Waltonus, "scripturam Assyriacam, quæ hodiè Hebraïca dicitur, ex Assyriâ sive Babylone cum Ezrâ ascendisse, et ab eo mutatam esse; undè infertur, ante illud tempus apud Judæos in usu fuisse." Proleg. III. § 32. Alio itidem loco, sc. Ib. § 24. "Durante verò Captivitate septuaginta annorum, magnam mutationem subiit" (sc. Lingua Hebraïca:) "adeò ut Judæi, linguæ propriæ obliti, Chaldaïcam cum aliquâ Hebrææ tincturâ post solutam Captivitatem in patriam introduxerint. A quo tempore Hebraïca, postquàm durâsset annos plùs minùs ter mille et quadringentos juxta computum vulgarem, desiit esse vernacula, juxta communem omnium ferè doctorum sententiam. Unde legimus Neh. viii. 7, 8, Ezram et Levitas, cum Legem populo prælegerent eandem exposuisse, et sensum dedisse (linguâ sc. vulgari) ut populus intelligeret. Et hinc erat origo Paraphrasium," &c. Quid statuendum sit de Talmudicis, eorumque à stirpe Judæis recentioribus, omnia pro lubidine sumentibus, aliorum judicio relinquendum puto. Waltono verò dixerim, Non hinc omninò sequi, Paraphrases Chaldaïcas, eo sensu quem is vult, origines suas duxisse: neque is, neque quis alius demonstrare potest, "linguam, sc. vulgarem," eo tempore fuisse Chaldaïcam. Chaldaïcam Judæos juniores haud intellexisse, minimè affirmârim; eos autem Hebraïcam non usque adeò intellexisse, ut legem eâ explanatam non caperent, dixerim neminem esse qui probatum dabit. In morem enim apud Hebræos venerat, et id fortè ante ipsam in Babyloniam deportationem, Sacerdotes, aut etiam quemvis alium, lege prælectâ, explanationes voce factas populo dare. Hujusmodi quid fecisse legimus et Dominum ipsum nostrum Jesum, (Luc. iv. 17, 21.) pericope quippe ex Jesaiâ prælectâ, is statim expositionem dedit; et idem Apostolum (Act. xiii. 15, 17.) fecisse docemur. Hæ igitur expositiones promptè atque ex tempore factæ sunt, non è quâvis versione, aut oratione anteà sarcinatâ, prolatæ. Ac mos populo concionandi idem fuit primitùs, qui, et mutato paululum apud nos ritu, in hodiernum usque diem manet. Ultrà tamen progreditur Waltonus (Proleg. xii. § 7.) "*Certum*," inquit, "itaque *videtur*, fuisse Paraphrases hîc loci Chaldaïcas publicè prælectas." Dixerim tamen, quî hocce *certum videretur* sanè nescio; ei forte *probabile* videri potuit, *certum* nunquam. Neque probabile est, ut benè monuit Simonius,* has paraphrases unquam publicè fuisse prælectas: neque quis Talmudicorum, aut etiam Judæorum recentiorum, id affirmavit. Paraphrases hasce in Scholis,† vel etiam in Synagogis, cum eæ usui Scholarum destinatæ fuerint, prælectas esse, nemo fortassis inficiabitur: et Judæos, tum ante tum post captivitatem Babylonicam, juventutem suam ita instituisse, sanè verisimillimum est.

III. Sed, et paucis interjectis, idem dabit Waltonus: "Et quidem," inquit ille (Prol. xii. § 7.) "videtur Levitas et Scribas, quibus hoc munus impositum fuit synagogis operam dare et sabbatinis lectionibus interesse, post contextum Hebræum ab ordinario Lectore prælectum, sensum et interpretationem ejus linguâ populo notâ (præsertim Chaldaïcâ) secundum talentum sibi datum, prout sensus in Lege exercitatos habuerunt, dedisse: Et paulò post in verbis Maimondis ait, (in Tephil xii.) "*à diebus Ezræ consueverunt habere interpretem, qui populo id interpretaretur quod lector ex Lege prælegit, ut sensum verborum intelligeret.*" Addit Waltonus "Videmus hìc interpretem lectori opponi, quasi diversum: cùm tamen si certæ alicui versioni adstrictus fuisset, ipse alius non fuisset à lectore; cùm quod unus ex codice Hebræo alius ex Chaldaïco legeret, undè duo essent lectores, non 'lector' et 'interpres.'"

IV. Maimonides, igitur, sensu prorsùs alieno à Waltoniono, verba Ezræ accepisse videtur: quæ cum ita sint, vix necessè videbitur statuere, prælectiones publicas Paraphrasium Chaldaïcas indè à temporibus Ezræ in usu fuisse: neque nobis verisimile est, interpretationes istas publicas tunc primùm in usu fuisse; expositiones autem quasdam à Doctoribus Ecclesiæ Judaïcæ à temporibus antiquissimis habitas fuisse. Dabimus præterea haud inviti, expositiones sive conciones hasce populo fuisse datas, linguâ iis aut vernaculâ aut saltèm bene notâ: alioquin nulli iis omninò essent frugi: at has temporibus Ezræ omni proculdubiò fuisse Chaldaïcas, non dabimus, donec tandem argumentis validioribus probatum detur. Loco, præterea, suprà citato, non dicitur מְפָרֵשׁ אֲרָמִית, *apertè Aramaïcè*, ut sæpè apud Danielem et Ezram monemur, ubi nulla equidem restare potest quæstio, quin Chaldaïcè res acta esset; sed sensum tantummodo fuisse datum.

V. Aliud est autem argumentum à clarissimo Lœschero propositum, idque nulla, uti nobis videtur, arte eluendum. "Accedit," inquit, "quod Libri sacri post reditum ebraïcè scripti sunt, v. gr. Haggæi, Zachariæ et Malachiæ vaticinia, Esræ et Nehemiæ libri, quos linguâ populo ignotâ, cum populi causâ conscripti, consignatos esse, fidem nullam merebitur. Et cur vates isti ebraïcè allocuti populum creduntur, si intelligi ab illo non potuerunt?" (De causis Ling. Ebr. p. 68.) Respondebit Waltonus his ipsius verbis: (Proleg. xii. § 1.) "Multi quidem Judæorum reducum, præsertim ætate grandiores, Sacerdotes etiam et Scribæ Hebræam adhùc retinebant: *undè erat, quod Prophetæ Posteriores* vaticinia sua majorum suorum linguâ scripserint; in usum tamen plebis, cujus ignorantiæ necessariò consulendum erat, ut Scripturas intelligerent,

* Histoire critique du Vieux Test.

† Si præterea fidem dare traditionibus Judaïcis fas esset, scholas habuerunt Judæi in Babyloniâ sat celebres, etiam à temporibus deportationis institutas. "Quum deportaretur captivus populus in Babyloniam" (verba sunt R. Mosis Mikkoti), "ab eo tempore et deinceps Schola sapientiæ non recessit ab urbe Nahardea, quæ sita est ad flumen Euphratis, &c." Videsis Buxtorfii Tiberiadem. Cap. VI.

dum in synagogis et in Templis perlegerentur, introductæ sunt Targumim, sive explicationes linguâ illi notâ, sc. Chaldaïcâ, sive (quæ eadem fuit) Syriacâ." Et rursùs: (sc. Proleg. iii. § 24.) "Non mirandum itaque est, Prophetas ultimos prophetias suas Hebraïcè ex maximâ parte (nam quædam sunt Chaldaïca apud Ezram et Danielem) conscripsisse: cùm omnes reliqui libri sacri eodem idiomate conscripti fuerint, et nunquam defuerint ex Sacerdotibus aliisque, qui linguam hanc tenebant, et Scripturas populo explicare poterant." Sed aqua, ni fallimur, in multis hisce hærebit. Vix enim mihi persuadere possum, Prophetas posteriores, Sacerdotum majorumque natu gratiâ, libros suos Hebraïco idiomate exarâsse, cum id parùm intellexissent alii: neque cuiquam satisfacere eò, sc. quod, aut Sacerdotes illud calluerint, aut reliqui libri sacri in eo exarati fuerint, idcircò eos linguam jam demortuam in usum adhibuisse. His enim rationibus ducti arguere possimus; Si nimirum Prophetæ uspiam exstiterint, Hebraïco eos idiomate scripsisse esset necessè; quia namque, nonnulli hinc indè reperirentur, qui id populo explanare possent. At si necessè esset, ut hæc Hebraïcè, ut cum prioribus libris conspirarent, scriberentur; quærere forsàn quis haud insolenter pergeret, Quare demùm Græcè suos commentarios scripsêre Evangelistæ atque Apostoli? Nonnè omnium in oculos incurret, eos Græcâ linguâ usos fuisse, quia ea plerisque, saltèm ipsorum ætate, erat vernacula? Et pari ratione, Prophetas suprà laudatos, Hebraïcum usurpatos fuisse idioma verisimillimum est; quia sc. tunc temporis id inter suos viguerit: non, ut Waltonus dormitans voluit, ut Sacerdotum Philologiæ, aut etiam convenientiæ cuidam inter libros sacros imposterum servandæ, consulerent. Aliud et notandum: Targumim sc. de quibus suprà Waltonus, nullibi, his temporibus exstabant; ea namque Machabæorum tempora non videbant: neque, si Judæis adstipulemur, scripto mandata sunt, multos autè C. N. annos. Quî demùm ea, populi instruendi gratiâ, publicè prælegerentur sanè non video; nec Waltonus ipse, si rem ulteriùs perpendisset, aut vidisset, aut scripto mandâsset. Verisimillimum igitur nobis videtur, Linguam Hebræam adhuc inter populum à Babyloniâ reducem viguisse; atque Ezram et Collegas ejus, expositiones suprà notatas, non Chaldaïcè sed Hebraïcè coràm dedisse.

VI. Neque satis sibi constat Waltonus, statuens Ezram formas literarum Hebraïcarum antiquissimas in Judæam revertentem, cum recentioribus Chaldaïcis immutâsse. Si enim Vulgus Scripturas Hebraïco idiomate conscriptas legere non potuit, cui demùm bono ille literarum formas mutavit? Doctorum gratiâ id factum nemo fortassis affirmaverit; ii enim formas antiquas legere potuerunt, sensumque publicè populo dare: atqui Plebi idiomatis Hebraïci omninò rudi, infructuosum esset; quippe qui, formis literarum mutatis, textum tamen ipsum Hebraïcum intelligere non potuerit. Longè meliùs de his, uti nobis videtur, Lœscherus disseruit. "*Duobus*," inquit, "post reditum è captivitate Babylonicâ *seculis*, seculo nempe Zorobabelis et Esræ, Ebraïsmus in gente Judæorum conservatus est, et *tertio* sequentibusque res aliter se habere cœpit. Tres velut factiones (sectas enim appellare indoles rerum vetat) tum in apricum prodiere, Chaldaïca, Hierosolymitana, et Græca." "Chaldaïca factio," addit Ille, "eos complectebatur Judæos, qui in Chaldæâ, Persiâ, Mediâ, ac Mesopotamiâ, intermisso in patriam reditu, remanserunt, Regumque Parthorum beneficio sacra libertatemque tuiti sunt, ac scholas celebres Babylone, Susis, et aliis locis habuerunt, &c." Hæc nobis veritati omninò consentanea videntur, præsertim, cum certò certius est, Judæorum partem prægrandem non cum Ezrâ aut Nehemiâ in Judæam fuisse reversam: ultrà namque quinquaginta millia, eorum numeri non assurgunt. Et si hi, sedes suas Babylonicas tanquam potiores existimârint, sequi videtur, beneficio Regum suprà memoratorum, eos eò fuisse adductos, ut in Judæam cum fratribus suis haud reverterentur.

VII. Pergit Lœscherus, (quod et nobis dignum videtur ut exscribatur) "Secunda factio erat Judæorum Hierosolymitarum, sive eorum, qui in Palæstinâ et Syriâ finitimâ habitabant, qui se omnium nobilissimos existimabant, dialectoque utebantur non purè Targumicâ,* qualem ex captivitate reportaverant, sed Aramæorum occidentalium, sive Syrorum, dictionibus permixtâ, undè Syro-Chaldaica, sive Hierosolymitana, aut, ubi impurissima est, Damascena nominatur, &c." (p. 73.) "Tertia," addit ille, "factio est Judæorum per Imperii Romani provincias, speciatim Ægyptum, Asiam Minorem, Phrygiam, Pontum, Græciam, Illyricum, Siciliam, ipsamque Italiam habitantium, qui dispersorum nomine censebantur. Hi Græcam adoptarunt Linguam, usu, videlicet, in illis regionibus receptissimam, undè etiam Hellenistæ dicti sunt.... Inter hos Ægyptii excellebant, dispersorum sanè principes: hi, eorumque imitatione ducti reliqui, adamare cœperunt Græcorum Philosophiam, maximè Pythagoricam et Platonicam, ad ejus genium Theologiam suam et sacrarum literarum interpretationem applicârunt, ut, relictâ simplici et puriori doctrinâ, nova inauditaque mysteria, quæ Platonem sapiebant, in iisdem quærerent.... Quæ vera est origo Cabbalæ, quàm realem vocant, traditionem à Mose usque acceptam mentientis, &c." Hæ, uti nobis quidem videtur, origines sunt sat probabiles, tum dialectorum inter Judæos hujusce periodi usitatarum, tum opinionum inter eos tàm longè latéque vigentium. Sed et adnotare juvabit, fuisse etiam in Judæâ, à tempore captivitatis, haud paucos tàm incolas, quàm ex Babylone advenas; quibus inter se permixtis, vix aliò res recidere potuit, quin nova exindè Chaldæo-Hierosolymitana dialectus excuderetur: quæ forsàn eadem ac Galilæa tempore Domini nostri. Ii enim, hinc indè dispersi, ut fruges colligerent atque arva seminarent, in urbibus rarò reperti sunt: undè et linguâ incultâ atque horridâ eos usos fuisse verisimile est. Lingua itaque sancta in Babyloniâ non fuisse deperdita, nobis pro rato compertoque habetur; eam verò pedetentim cum Chaldaïcâ, Græcâ, atque Latinâ, commixtam atque ideò corruptam evasisse, utràque largimur manu: temporis denique decursu, et ut res postulabat, Targumim seu versiones istæ Chaldaïcæ, dialecto sc. magis minusve purâ, in lucem emissæ sunt, et in Scholis utendæ collocatæ, nunquam tamen in Synagogis coram populo publicè legendæ.

VIII. Ex his fortè colligere licebit, Judæos, linguâ ipsorum in desuetudinem jam vergente, minimè Scripturarum suarum fuisse immemores; verùm eos, tum populum orali quâdam facultate instruxisse ut et mos anteà fuerat, tum commentarios indies, quibus Discipuli ipsorum erudirentur, ex industriâ composuisse, posterisque, ut sensus genuini S. S. servarentur, mandâsse. His præterea temporibus, minùs idololatriæ dediti sunt Judæi quàm antea fuerant; ad sectas fovendas verò longè procliviores: undè forsàn concludamus, literas ipsas sacras multò fuisse tutiores, ferventibus utrimque partibus, quàm genuinæ earum interpretationes, ut servarentur. Et res prorsùs se ita habebat: scrupulosiores enim longè quam honestiores fuêrunt hujusce temporis Judæi. Cœlestia ii cum terrenis haud inviti mutabant; scitis philosophicis, aut etiam mysticis, se omninò dabant: truculentiores facti in sacris, quam in profanis quemquam esse, leges humanæ sinebant.

---

* Hâc dialecto conscripta fuisse Evangelia Syriaca Hierosolymitana, quorum notitiam primò publici juris fecit Adlerus, omninò videtur. Hanc et ille Hierosolymitanam appellavit, iisdem fortè ductus rationibus ac Lœscherus, quia sc. dialectus hæcce impurè exstitisse, atque ex pluribus fuisse facta, visa est. Vide Adlerum de versionibus Syriacis, Lib. III. Hafniæ 1789.

## SECTIO VI.

*De Christianismi ortu, ejusque in Sacras literas vi effectrice.*

I. Volventibus dein sæculis, nova inter Judæos gens nomen sibi vindicavit, cujus Christus Dominus noster se Ducem atque Doctorem præbuit. Is tamen, cùm nullâ esset gloriâ aut pompâ terrenâ stipatus, haud multùm istorum magnates vexâsse videtur, donec tandem miraculis palàm factis clarus evadere incœperat: nonnullis, iisque magni nominis viris, ad partem ejus adstrictis, cæteris verò reclamantibus. Atque isthùc res progrediebatur, ut tandem ii Jesum captum cruci affigebant, vitâque spoliebant. Posthâc verò Discipuli ejus novas vires accipiebant, ita ut non in Judæâ atque ipsis Hierosolymis modo, nomen ejus palàm profitebantur, affirmantes eum jam à mortuis resurrexisse; verùm etiam in partes exteras, ubicumque Judæorum synagogæ reperirentur, profecti, ibi coram omnibus disputabant: ostendentes hunc Jesum, quem et illi crucifixerant, esse ipsum Messiam à Prophetis jamdudum prædictum. Ad hæc, Judæos inscitiæ reos, in Scripturis suis sacris explicandis, strenuè peragebant; et, quod miraculi est insigne documentum, quamvis ii ex plebe indocti atque sermonis valdè essent rudes; eo tamen successu se ad sacras literas explicandas contulêre, ut nemo non profiteri cogeretur, eos omnibus sc. numeris, genti Judaïcæ, hâc palæstrâ evasisse superiores. Sed, neque ii Judæis modo de erroribus suis revincendis contenti sunt, ad gentes exteras quoque proficiscebantur, hominesque ad veritatis divinæ agnitionem invitabant, hortabantur: donec tandem res eo usque processit, ut in ipsâ Cæsaris Aulâ, multi Jesu crucifixo nomen dederint. Ad hæc perficienda, multis sanè gaudebant charismatibus divinis, qualia sunt linguarum dona, ægrotorum curandi, atque mortuorum in vitam revocandi, facultates, rerumque futurarum edendi prædictiones.

II. Hæc quum ita se habuerint, Judæi, uti par est, vires omnes intendebant, ut tum suos tum cæteros ad partes ipsorum tuendas conciliarent. Textum igitur sacram illustrare denuò cœpêrunt, glossas addere; commentariis, traditionibus, et Masorâ in longum productâ, exornare. In scholis suis in Palæstinâ et Babyloniâ rem Grammaticam, Hermeneuticam, Criticam, impensè urgebant: quas et haud multum post, in Hispaniâ, ad culmen usque suum evexêrunt. Opera eorum ferè omnia, his sæculis in lucem emissa, ad manus nostras usque pervenêrunt; et, si de his judicium ferre liceat, Eos dixerimus in sacris literis tractandis fuisse equidem doctos, at sat protervos, pueriles, tortuosos; nusquam tamen eo usque sacrilegas in Scripturas sacras immisisse manus, ut datâ operâ eas corruperint. Et, quod maximè notandum, Dominus noster Christus, quamvis is acerrimè in Judæos nonnunquam invexerit, nunquam tamen eos, ceu sacrarum literarum corruptores, ita accusavit ut eos earum immutandi reos perageret. Scripturas item, quas et hodiè habemus, ipse locis pænè innumeris laudavit, in medium protulit, explanavit. Idem sanè fecêrunt Discipuli ejus Apostoli, eâtenus, ut vel in Novo fœdere solo, lineamenta totius ferè Veteris, deprehendere videamur. Post eos demùm, idem fecêrunt Ecclesiæ Christianæ Patres omnes; et quamvis ii nonnunquàm, Judæos ceu Scripturæ Sacræ corruptores, incusaverint, uti posteà videbimus; nullibi tamen apertè affirmârunt, eos archetypum Hebraïcum vel in verbulo corrupisse: quæ autem dixêrunt omnia, aut in Commentaria, aut versiones Judæorum perversas, aut etiam in Septuaginta Viralem, perpetuò cadunt.

## SECTIO VII.

*De Masoræ origine et incrementis.*

I. Quamvis nos multa contra Judæos proferre Christiani meritò solemus, non omnia tamen quæ ii, Scripturæ sacræ studio ducti, fecerint, improbanda sunt. Iis equidem primitùs tradita sunt oracula Dei; et, si in permultis se pervicaces præbuerint, in nonnullis tamen fideles deprehenduntur: atque eo nomine prosequendi, honorandi. Textum etenim ii sacrum, quoad ejus vires potuerint humanæ, in manus nostras incolumem dedêrunt: et quamvis sæpè ii proterviùs sudâsse videantur, id fortè partium studio magis, quàm inscitiæ eorum tribuendum, atque idcircò magis dolendum. Hoc de *Masorâ*, ni fallimur, generatim dicendum: Opus esse equidem humanas vires pænè exsuperans; in multis bonum atque habile, in cæteris verò perturbatum, usuique malè accommodatum.

II. A quo, aut quando, demùm hoc inchoatum fuerit opus, nemo definiverit. Judæi id uno ferè ore ad Ezram, Synagogamque sub eo magnam, ut loqui amant, referunt. Elias verò Levita, et qui ab eo sunt, Doctoribus Scholæ Tiberiensis tribuunt, utrique fortassè conjecturis nimis indulgentes. In argumento tamen hujusmodi, omni historicâ veritate destituto, licebit et nobis conjecturis modestè uti. Exemplari igitur, dixerimus, Legis Mosaïcæ amisso, nulloque manente inter populum Prophetâ, atque linguâ sanctâ indies in desuetudinem vergente, perquam verisimile nobis videtur, tum Doctores Judaïcos, tum privatos, incœpisse notas quasdam grammaticales, lectionisque varietates, si quas fortè invenissent, in librorum suorum margine adnotare. Neque hoc, uti videtur, ætatem Ezræ attigit, neque ad Tiberiensium sæculum moram trahebat: medium fortassis occupavit locum, vel potiùs ad Ezram propiùs accedens. Varietates quasdam Hebraïco textui irrepsisse, jam ante C. N. sæculum Septuaginta viralis versio testari videtur: quamvis eas nullibi, quoad textum Hebraïcum, notaverit Hieronymus. Et quùm satis certò scimus Syros, Hellenistasque Judæos, versiones novas ex exemplaribus in Judæâ usitatis excudisse, easque in multis à Septuaginta Virali discrepâsse; nullus fortè restabit dubitandi locus, exemplaria, sc. in Judæâ, Egyptoque habita, in nonnullis quoque variâsse.

III. Judæi Alexandrini, uti omnes nôrunt, jam ferè ab Alexandri ipsius tempore, à fratribus suis in Judæâ amoti, separatas atque distinctas fovebant scholas. Cujusmodi exemplaria Hebraïca in Egyptum secum primo portaverint Judæi, nemo dixerit: veritati tamen haud alienum videtur, eos illùc migrantes, exemplar aliquod vetustum viæ comitem fecisse, atque in Synagogâ, more antiquo, collocâsse. Ex alterâ verò parte, Palæstinenses, alteram jam constituentes scholam, et fortassis de exemplaribus ipsorum curiosiores, Masoram quandam diù exercuisse, notasque quasdam grammaticales, Judæis Egyptiis ignotas atque ab illorum placitis alienissimas, in libris suis adnotâsse, sanè potuerunt. Idem accidere potuit et Samaritis, utpote à Judæis Palæstinæ exosis abalienatisque. Varietates igitur lectionis, quæ inter Septuaginta viralem versionem, et textum Samaritanum Pentateuchi; itidem inter versiones in Palæstinâ primitùs factas, textumque hodiernum Masorethicum, deprehenduntur; omnes, ni fallimur, hujusmodi origini tribui possunt ac debent. Sed juvabit, quod et satis certò scimus, adnotare, inter Samaritas Judæosque Alexandrinos, aliquod accidisse commercium; atque ideò, haud absimile erit, eorum inter se exemplaria aliquando fuisse collata, et ut conspirarent quoad maxima facta. His demùm perpensis apparebit: Judæos Palæstinenses, non modò in lectionis aliquâ varietate ab Egyptiis necessariò discrepasse, verùm apparatu Grammatico Hermeneuticoque, in multis distasse. Et hujusmodi sanè varietates deprehenduntur. In maximis tamen Religionis veritatibus, amicissimè conveniunt: eundem Messiam prædicunt: easdem vivendi regulas, spes, promissiones, proponunt: indè, et Patres Septuaginta usurpare, Judæos pervicacitatis arguere, evincere, Ecclesiam ædificare, verbumque eam verè divinum complecti, asseverare solebant. Judæi verò, alterâ parte, verbum verè divinum atque intemeratum, apud se solos adservari asserebant; ita ut meram logomachiam veritatis jacula evitantes, coràm obtendebant.

IV. Sin igitur dabimus, pauculas varietates lectionis Hebraïcæ, ab Ezræ ferè temporibus exstitisse, quod fortè probabile videatur,* Judæos verò Palæstinenses vitiosiores adnotâsse, atque indè eas cavisse; Egyptios autem, et Samaritas, has omnes in Textum recepisse, aliis indies ingruentibus, novamque præterea eos Scholam quoad Grammaticen, Hermeneuticamque, stitisse; originem varietatis omnis, ni valdè fallimur, satis probabilem tutamque habebimus: Judæis haud nimis tribuentes, neque Egyptiis, Samaritisve, id eripientes quod iis dare oporteat.

V. Quæ sequuntur loca, argumenta hæcce quodammodo illustrare possunt: et eo consilio data sunt, non ut Studiosi harum rerum parùm exercitati, specie veritatis quàm veritate ipsâ potiùs, quod et alioquin accidere possit, alantur; verùm ut dicta pensiculatè ponderent, sententiamque suam tutiùs forment, proferant. Crises à Capello Simonioque adductas, missas facimus, utpote quæ in eorum Libris videantur.

### GENESIS.—CAP. I.

2. Ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, quæ in Hebraïcis ita se habent, וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ. Quomodo ἀόρατος cum voce Hebraicâ תֹּהוּ conveniret, nemo adhuc divinando assequutus est; neque, quæ varietas esse potuit lectionis, Capellus Lynceus iste. Notandum verò Alexandrinos non omninò Atticè fuisse locutos, neque semper justos vocum sensus fuisse asservatos, ut et benè monuit Simonius. Itala vetus vocem ἀόρατος, per "*invisibilis*" reddidit, quæ nullum omninò sensum fundit; nisi quis quid *incompositum*, eodemque tempore *invisibile*, in mente concipere queat, quod nos minimè posse ultrò fatemur. Vox fortassè ἀόρατος, ii non ab ὁράω deduxêrunt, verùm ab ὅρος terminus, limes, &c. ita ut ἀόρατος† idem significaret atque ἀόριστος, *indefinitus*, *indeterminatus*, &c. Locus igitur sonabit, *Terra autem erat indeterminata et incomposita*, eodem sanè sensu ac Hebraïcum suprà citatum. Hîc loci igitur nulla extabat lectionis varietas.

6. καὶ ἐγένετο οὕτως, transposita sunt à fine versûs septimi.

8. καὶ εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι καλόν, non sunt in Hebraïco neque Samaritano, neque versionum antiquarum quâvis: mera igitur sunt Librarii additamenta.

9. εἰς συναγωγὴν μίαν, καὶ ὀφθήτω ἡ ξηρά· καὶ ἐγένετο ὕτως· καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τῶ ὠρανῶ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά. Hîc nulla lectionis Hebraïcæ varietas deprehendenda; sed duæ ejusdem loci versiones confusæ: et, ni fallimur, interpres semet etymologicè hic ludentem proponit: יְקֻוּ enim, primò per συναχθήτω redditum est, deindè מָקוֹם אֶחָד per συναγωγὴν μίαν et τὰς συναγωγὰς αὐτῶν. In ultimâ interpretatione, מָקוֹם aliter punctatam sc. מְקֹם reddidêrunt, ut τῷ יְקֻוּ in versûs initio etymologicè responderet, cætera omnia confusioni Librarii ascribenda sunt; non lectionis Hebraïcæ varietati.

11. κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα. Nulla est hîc in Archetypo varietas lectionis, neque in versione ullâ, si Syriacam excipiamus, quæ κατὰ γένος habet in phrasi ܠܓܢܣ, quod à Græcâ mutuari potuit. Sunt omnia igitur additamenta à Librario aliquo illata.

12. καθ' ὁμοιότητα....κατὰ γένος. Hæc à Librario indocto festinanteque omnia originem ducunt, nullo aut codice Hebraïco, aut versione antiquâ, adstipulante.

14. φαῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, et in codice Alexandrino, φαῦσιν τῆς γῆς, καὶ ἀρχειν τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτός. In Samaritano לְהָאִיר עַל־הָאָרֶץ, cum codice Vaticano, sed malè; quia eadem versu proximo sequente repetuntur. Quæ redundant in codice Alexandrino, ea Librario omninò tribuenda sunt. Aquila cum Hebraïco consentit.

20. καὶ ἐγένετο ὕτως, redundant; et à Librario dormitante addita sunt.

24. κατὰ γένος, Heb. Samar. Syr. &c. לְמִינֵהּ i. e. κατὰ γένος αὐτῦ, amissa igitur est vox αὐτῦ, nulla autem lectionis varietas concipi in textu archetypo debet: et idem dicendum in secundo loco: nisi fortè ה finalem ceu formativam, et sine mappic (.), legerint. In ver. 25. habent γενὸς αὐτῶν, fortè pro αὐτῦ, et iterum γένος, ubi Alexandrinus habet γενὸς αὐτῶν.

26. ὁμοίωσιν pro ὁμοίωσιν ἡμέτεραν, quod Interpreti fortassis tribuendum, ne Græcismum suum, pronominum repetitione, horridum redderet.

27. εἰκόνα θεῦ, pro εἰκόνα αὐτῦ, reverentiæ fortassis in Deum gratiâ: nulla, igitur in Archetypo eorum, fingenda est hîc varietas.

28. λέγων, pro καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς ὁ θεὸς, וַיֹּאמֶר לָהֶם אֱלֹהִים adstipulante etiam Samaritano: fuisse hanc igitur Librarii omissionem arbitremur.

ib. καὶ πάσης τῆς γῆς, καὶ πάντων, mera sunt Librariorum additamenta omnia.

29. σπόριμον, in primo loco textum onerat, et idcircò pro spurio habendum.

### CAP. II.

1. ὁ κόσμος αὐτῶν, Heb. צְבָאָם, quæ Recentiores reddunt, *exercitus eorum; oi ὁ* verò radicem, idem ac צְבִי *decus, pulchritudo*, significantem, accepêrunt; et cum ظَبْي Arabum, i. e. *capreolus*, &c. convenientem. Radices præterea cognatæ sunt צבא יצב מצב: et, quoniam hæ ordinandi notiones complecti videntur, exercitus fortè indè nomen accepit, utpote quid ordinatum, seu in ordinem redactum, significans. Et si ita se res habuerit, *oi ὁ* primariam, Recentiores autem secundariam, vocis significationem usurpati sunt.

2. ἐν τῆ ἡμέρα τῆ ἕκτη, Heb. בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי, in die septimo. Cum Græcâ sunt Textus et Versio Samaritanorum, necnon Syriaca: cæteræ cum Archetypo conspirant. Locus est ab interpretibus diù multumque vexatus; sed, ni valde hallucinamur, Græca, cum sequacibus suis, manum sapiunt emendatricem. Locum, apud Samaritas à Grammatistâ quodam, hoc modo fuisse refictum, arbitror: Hebraïca ita se habent: וַיְכַל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי, quæ mihi sonant: *Et perfectum edixit Deus, die septimo, opus suum*, &c. Nullus enim dubito, quin וַיְכַל in eo sensu accipi debeat, (Videantur omninò Prælectiones meas Grammaticales, p. 112,) ut sc. opus jam perfectum prædicetur: eodem sensu, et Alexandrinos Judæos συνετέλεσεν accepisse puto; utpote Hebræis Græcè loquentibus haud abnorme. Hoc sensu vox ἑβδόμη, sicut et הַשְּׁבִיעִי, nemini offendere potuit: et hoc sensu, vocem Hebraïcam sumi debere nemo, re perspectâ, fortassis negabit. Posteà verò, cum mos hicce loquendi paulo insolentior esse cœpisset, vox ἑβδόμη etiam offendiculo esse cœpit, atque eam ob causam, tandem immutata est. Samaritæ, qui sexcenties contra Grammaticen Hebraïcam peccârunt, hujusmodi corruptiones suas facere, satis fuerunt proclives; huic, itaque in textu suo locum dare, non ii erânt ut erubescerent.

3. ὧν ἤρξατο ὁ θεὸς ποιῆσαι, Heb.: אֲשֶׁר בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת, quod Recentiores interpretari non potuêrunt; periphrasin itaque conjecturalem, uti in cæteris fecêrunt, dedêrunt. Enimverò in בָּרָא sive ברא, secundum Arabes, *incipiendi, præordinandi, deter-*

---

* Celeberrimus De Rossi verò fidem huic plenariam dare non dubitat: et, quod multo magis mirandum, statuit, multas discrepantias in Exemplaribus Judaïcis jam ante captivitatem exstitisse; atque exindè factum fuisse, ut textus Samariticus, Hebraïcusque à quo Septuaginta suas hauserant versionem, in tot tantisque articulis diversus esset. Hujusmodi Exemplaria, ut ei visum est, in Palæstinâ, Egypto, atque fortè in Assyriâ inter Cutheos, olim invaluisse. Esdrinum verò, tandem post correctionem, sive in Babyloniâ sive in Palæstinâ factam, eas varietates, quæ hodie inter utramque recensionem conspiciuntur, indè origines duxisse arguit.

† Nisi males Librarios malefidos ἀόρατος pro ἀόριστος scripsisse.

*minandi*, notio latet. Phiruzabadius vocem ita explicat, بَرَأَ اللّٰه الخلق كجعل برءًا وبروءًا اخلقهم, i. e. בָּרָא *Deus creaturas*: (ut diceres) *incepit* جعل sive, *instituit*, *creationem*, seu *creandi actum*, *&c.* Et sub voce الخَلْق, quæ huic radici omninò æquipollet, habemus التقدير *potentia*, sive *prædestinatio*: et الخالق في صفاته تعالي المبدع للشيء المخترع علي غير مثالٍ i. e. *Creator qui (magnificetur nomen ejus) in attributis ipsius est rerum inventor, atque auctor, nullo ei exsistente æquali.* Et adhuc luculentiùs Jauharius, تقال خلقت الاديم اذا قدرته قبل القطع i. e. Dixeris خلقت i. e. *Destinásti corium, cum id mensurásti, priusquam sectio* (fieret). Et in adagio. ما خلقت الا فريت وما وعدت الا وفيت i. e. *Non in mente cepi, nisi quod et perspexeram; neque pollicitus sum, nisi quod et (postea) perfeci. Inceptionis* igitur *notionem* latere in voce ברא, ejusque synonymis, credebant Orientales; quod et *οἱ ὁ* vidisse nemo fortassis inficiabitur. Ii itaque, locum hunc alioquin perobscurum, optimè reddidêrunt.

4. *Αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως.* Heb. אֵלֶּה תוֹלְדוֹת *Hæ* (sunt) *generationes.* Explicatio potiùs quam translatio hæc est, eo fortè consilio facta, ut mori apud eos usitato loquendi meliùs consulerent. Eâdem locutione utitur Matthæus Evangelista, Cap i. ver. 1.

5. *ἐργάζεσθαι αὐτήν*, Codex Alexandrinus cum Hebræo *ἐργάζεσθαι τῆν γῆν*, habet.

6. *Πηγὴ δὲ ἀνέβαινεν.* Heb. וְאֵד יַעֲלֶה, quocum conspirat Samaritanus, quamvis in Polyglottis malè legitur "*Fons autem*, &c." Alexandrinus Syriacum ܒܘܪܟܐ *labrum, crater, conceptaculum aquæ*, in mente habere potuit, vel etiam Arabicum اِيَادٌ quod inter cætera significat, *lutum cisternæ* sive *tentorio circumlitum, ad impediendum aquæ egressum vel ingressum*, ut indè de cisternâ vel fonte ipso cogitaverit. Interpres autem Samaritanus habet ועבין *et nubes*, cum Onkeloso; mirandum igitur, ut Castellus haud animadverterit. Syrus cum Græco convenit.

8. *Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολὰς.* Ἐδὲμ pro Ἐδὲν facili lapsu scribi potuit: in reliquis *οἱ ὁ* cæteris interpretibus longè superiores evasêrunt. Eden fortassis ea ipsa Eden est, quæ in Telassar esse sita dixit Jesaias (cap. xxxvii. 12.), et posteà hoc nomine signata est; Judææ ab oriente situm habuit. Altera autem interpretatio sc. *à principio*, quam Hieronymus à Palæstinensibus Judæis hausit, fabulis nescio quot quantisve originem dedit, Paradisum sc. ante mundi primordia fuisse creatum, et alicubi inter nubes positum: hoc se Judæi, Patresque nonnulli Christiani, et ab iis Mahumetus nebulo, iterum iterumque delectârunt.

9. *γνωστὸν*, Librarii additamentum esse videtur.

11. *ἐκεῖ ὅ*, si literalis non esset interpretatio *τῶν* אֲשֶׁר־שָׁם, duplicem ejusdem phrasis translationem esse autumem.

12. *ὁ ἄνθραξ καὶ ὁ λίθος ὁ πράσινος*, recentiorum conjecturis præferendam censerem; quamvis affirmare nequeo harum versionum utra sit vera.

15. *ὃν ἔπλασε* additamenta Librarii sunt. ib. *τῆς τρυφῆς*, ejusdem sunt generis.

17. *φάγητε*, et cod. Alex. *φάγησθε*, pluraliter sumi potuêrunt, interpretationis gratiâ; quia sub viri personâ, et fœmina intelligi videretur.

18. *ποιήσωμεν.* Heb. אֶעֱשֶׂה *faciam.* Captus mihi videtur Librarius, voce *ποιήσωμεν* capite præcedente (v. 26), dogmaticæ fortassè opinioni cuidam deditus: at, quùm Translator idem scribere potuerit, reverentiæ causâ adductus, in medio locutionem hancce relinquo.

19. *ἔτι* spuria est.

20. *τῷ δὲ Ἀδὰμ*, &c. Heb. וּלְאָדָם. Aut *οἱ ὁ* errârunt, ita transferendo, aut eorum interpretes. Locutio Hebraïca, quod recentiores non viderunt, *nominativum*, ut Grammatici loquuntur, *absolutum* sistit, testante tum loci naturâ tum accentu Hebraïco. Reddi igitur oportet, *Et ad Adamum (quod attinet) non invenit*, &c. Sed, et *οἱ ὁ* hoc innuere potuêrunt locutione *τῶ δὲ Ἀδὰμ*, posito puncto post vocem Ἀδὰμ. Et si ita accipi debeat hæc phrasis, *οἱ ἑδομήκοντα* multo semet perspicaciores ostendêrunt quàm eorum omnes censores nuperi.

21. *ἔκστασιν.* Heb. תַּרְדֵּמָה Hieronymus, et post eum ferè omnes, *soporem*, atque indè verbum נִרְדָּם *sopitus est, somno abdormivit*, dedêrunt. Simonis in Lexico ex Schultensio meliùs *sopivit ἐκστατικὼς* &c. At enim si verbi hunc faciamus sensum, et ad Jonæ cap. i. v. 5, 6, applicemus, absurdum quid statim in oculos irruet. Nemo enim dixerit, Jonam ita perplexum exagitatumque semet somno statim dare potuisse; at si eum stupore fuisse perculsum statuamus, omnia liquidò constabunt.

23. *αὐτῆς.* Additamentum est: itidem *οἱ δύο* in commate 24. glossæ vice omninò fungitur. Longè aliter verò sentiebat Doctissimus Kennicottus, qui, in dissertatione suâ generali, hunc locum è septuaginta quasi palmarium laudat; "probatur inquit, Græcâ versione, consensisse textui Hebraïco, annis ad minimum 280 ante C. N." Addit, "et si denique minima restaret dubitatio, de hac lectione Veteri Testamento ante Christum vindicanda; amovetur prorsus hac scilicet observatione auctoritatibus textus Samaritani, Versionumque antiquarum omnium suffragari PHILONEM: qui locum *Geneseos* nostrum, cum voce *δύο*, citavit plus vice simplici." (§. 17.) Atqui notandum, hoc additamentum, textui *Geneseos* minimè necessarium, textui posse fuisse illatum, etiam ante Philonis Judæi tempora, et ita citari tum à Domino nostro, tum ab Apostolo ejus, utpote omnibus jam tum notum. Verum enim verò, vox illa *δύο*, in Evangeliis Matthæi et Marci, ad rem tractatam omninò fuit necessaria, plures enim sunt antecedentes, atque adeò, ni sensus ita fuisset restrictus, orta fortassis esset aliqua confusio: idem statuendum de usurpatione ejus ab Apostolo 1 Cor. vi. 16. alioquin Ille tanquam de Polygamiâ disserens, subintelligi potuisset. Loca sunt Mat. xix. 5. Mar. x. 8. et Eph. v. 31. Præterea, nemo in crisi Novi Testamenti exercitatus, id pro rato sumeret, aut Dominum nostrum, aut Apostolos ejus, de verbis vel etiam locutionibus curiosiùs egisse. De Textu versionibusque Samaritanis respondebit Eichhornius: "Ad והיו לבשר אחד triplex notanda est varietas," inquit ille. "Primum libri scripti samaritani præter unum omnes habent והיה משניהם לבשר אחד nec ab iis differt samaritanus interpres, nisi in eo, quod verbum in plurali (והיו) efferat; והיו משניהם לבשר חדה. Deinde apud nonnullos interpretes LXX. Vulgatum, et Syrum, invenitur והיו שניהם לבשר אחד. Tandem codd. masorethici omnes cum *Onkeloso*, et *utraque* Arabe legunt והיו לבשר אחד. Jam," addit ille, "quod ad lectionem samaritanis libris peculiarem attinet, והיה משניהם לבשר אחד, sive משניהם a שנים concipias, ut interpres samaritanus, sive a singulari aliquo משנה *(duplicitas* quasi), semper laborabis. Si priorem rationem sequaris, sensum prorsus nullum ex tota propositione extundere poteris; si posteriorem, purissimum Geneseos dicendi genus sequiore samaritanismo pollutum, adeoque *locum nostrum interpolatum credere necesse erit*, &c." (Eichhornii prefatio in Kœcheri novam Bibliothecam Hebraïcam.) Futile igitur ac valdè leve est palmarium hocce Kennicotti argumentum: in nonnullis veritatem non vidit, in cæteris nimis se *τῇ ὑπόθεσει δουλεύοντα* tradidit.

Excussis igitur generalioribus, videamus nunc demùm, quas leges interpretationis sibi *οἱ ὁ* imposuerint: qualem, præterea,

crisin Grammaticam: et quibus usi fuerint viribus in vocum sensibus eruendis. De Pentateucho solum loquimur.

VI. In primis, Ii verbum de verbo, et phrasin de phrasi quoad potuerint, in plerisque reddidisse videntur: demtis additisve, quæ demi addive debere crediderint, cuivis textum utrumque conferenti statim patebit. e. g. בְּרֵאשִׁית *ἐν ἀρχῇ* בָּרָא *ἐποίησεν* אֱלֹהִים, *ὁ θεὸς*, אֵת הַשָּׁמַיִם *τὸν οὐρανὸν*, וְאֵת הָאָרֶץ *καὶ τὴν γῆν*, &c. quæ ulteriùs ducere supersedemus. Hîc maximè notandum, in plerisque, easdem locutionis partes Grammaticales usurpârunt interpretes Alexandrini, quas et in Archetypo suo invenêrunt. In phrasi enim, *ἐν ἀρχῇ*, quæ Hebraïcæ exactissimè è regione respondet, habemus præpositionem ב voci *ἐν* omninò æquipollentem, et *ἀρχὴ* eodem prorsùs modo רֵאשִׁית exprimentem. Sed prætermittamus vulgatiores, et ad inusitatiores veniamus locutiones. In v. 3. וְרוּחַ אֱלֹהִים non reddunt ii per, *et flatus sive ventus Dei*, uti Judæis Palæstinensibus solenne erat; sed per *πνεῦμα θεοῦ*, ut ipsa postulabat Grammatice, nullis opinionibus dogmaticis contorti. Articulum Hebraïcum quoque in plerisque religiosè servant. e. g. v. 3. יְהִי אוֹר *γενεθήτω φῶς*, ubi neuter articulum habet: in v. verò sequenti, uterque Heb. הָאוֹר, et *οἱ ὁ*, *τὸ φῶς*, et ib. *τῷ φωτὸς* et *τῷ σκότους*. In v. 5. וַיְהִי per *καὶ ἐγένετο*, quæ ejus est vis ipsissima, reddidêrunt: verbum enim הָיָה copulæ logicæ, ut aiunt, vice nunquam fungitur, sed verbi verè substantivi, *sum, fio, forem*, &c. In v. 5. *ἡμέρα μία*, Heb. יוֹם אֶחָד, ipsum grammaticè Hebræismum servat.* Versu 6. *καὶ ἔστω διαχωρίζων*, Heb. וִיהִי מַבְדִּיל Partes itidem orationis in utroque sunt prorsùs eædem; ordine, uti in cæteris, eodem quoque servato. Ver. 7. *ὑποκάτω τοῦ στερεώματος*, Heb. מִתַּחַת לָרָקִיעַ. In *ὑποκάτω* ejusmodi deprehenditur compositio atque in מִתַּחַת pro מִן תַּחַת; et in לָרָקִיעַ Lamed, non cum dandi casu, uti Grammatici vulgatiores volunt, sed cum gignendi se exæquans. Ver. 10. *τὴν ξηρὰν*, לַיַּבָּשָׁה. Linguâ Græcâ hîc exprimi *τὸ* ל non potuit: articulum verò sub (-) latentem, necnon vim orationisque partem sequentis וַיַּבָּשָׁה, plenissimè dedit. Ib. Heb. יַמִּים pluraliter prolatum, per *θάλασσας*, quod nulla urgebat necessitas pluraliter etiam expressit. Ib. *καλόν*, adjectivum substantivi vicem gerens, quod et Hebraïcum exemplar habet, sistit Interpres Græcus.* Ver. 11. *βοτάνην χόρτου*, quæ vix græcè sonant, Hebraïco דֶּשֶׁא עֵשֶׂב exactissimè respondent: idem dicendum de sequentibus *σπεῖρον σπέρμα*, quæ et partes easdem orationis atque Archetypus, exprimunt. Ib. *καὶ ξύλον κάρπιμον ποιῶν καρπὸν*. Nihil in codice Masorethico stat è regione vocis *καὶ*: est tamen in Samaritano et Syriaco copula ו, quam et Arabica Saadiæ quoque exprimit: legêrunt igitur fortassis in exemplari suo *οἱ ὁ*. In phrasi *ξύλον κάρπιμον*, vix quicquam Atticus quivis capere potuisset; sunt enim verè Hebraïca. In voce ultimâ substantivus vice adjectivi, more Hebraïco, fungens deprehenditur. Demùm in *ποιῶν καρπὸν* non Hebraïcam modo phrasin, verùm et ipsissimas orationis partes Hebraïcas, legimus. Ver. 14. *τοῦ διαχωρίζειν*. Heb. לְהַבְדִּיל ipsum infinitivum seu verbale nomen, cum ל, genitivum, uti antea observatum exprimens, dabunt. Ib. *καὶ ἔστωσαν*, Heb. וְהָיוּ Præterito sc. vim imperativi exserente, quod Vulgares Grammatici nunquam adnotârunt.† Ver. 20. *καὶ πετεινὰ πετόμενα*, Heb. וְעוֹף יְעוֹפֵף. Participia temporis præsentis, uti nuper observavi, cum verbis temporis præsentis, sæpe permutantur in ipso textu Biblico,‡ *τοῖς ὁ* idem adnotâsse perquam probabile videtur. Ver. 21. *καὶ ἐποίησεν*, וַיִּבְרָא. Omissis quæ doctissimè adnotata sunt à Simonio, dixerim hic loci: Notionem illam, Lexicis nostris hodiernis illatam, quæ creationem ex *nihilo* proponit, scitum esse omninò Rabbinicum, recentius ni valdè fallimur, excogitatum. Veteres enim, uti antea dictum, hujusmodi quæstionibus se minimè vexârunt: neque, si id fecissent, quicquam ex voce (ברא) ab actu quodam naturali factâ metaphysicum expiscari potuissent. Vox ista, ut suprà vidimus, *lineam ducere, dimetiri*, et indè forsàn, *instituere, dolare, mente concipere*, aut quid istis simile, primitùs sonâsse videtur; undè et in ipsius Geneseos exordio legimus, postquam sc. Deus Cœlum terramque (ברא) *creâsset*, creata nihilominùs nullum in ordinem fuisse redacta. Undè igitur notionem illam curiosam Judæi primùm traxerint, sanè nescio, nisi fortè ex philosophematis illis ineptis, quibus ferè à Philonis temporibus addicti sunt. Sed cur ultrà non vagârunt? Quare quis, iisdem principiis innixus, non quæsiverit, Numnàm Deus Mundum, suâpte sponte creaverit, an fatali quâdam necessitate coactus? Vel etiam, Num attributorum ejus (quorum בּוֹרֵא sive *Creator* unum est) philosophica natura atque indoles plus creando profecerint, an liberum ejus arbitrium; de quibus ejusmodi Philosopho-Theologi garrire vix unquam desinunt? At pace eorum dicendum, ejusmodi quæstiones minùs sunt proficuæ, quàm ii credunt: atqui, verbo Dei illatæ, valdè ineptæ, fallaces, ruinosæ. Neque Lexicis nimis fidendum: multa enim ea discentibus propinant, ex opinionibus vanis, falsis, præjudicatis, prompta. Omnia ferè pollicentur, vix tamen quicquam præstant: ita ut nonnulli, qui de his rectè judicare nec possunt nec volunt, omnia in verbum sanctum eorum insulsa dicta cumulare haud dubitent. Ex hujusmodi verò Theologis quærere velim, Annè mihi satis esse non debeat, Deum sc. ipsum apertè dicentem, se nimirum Cœlos, Terram, universamque hanc naturæ compagem, initio fecisse, hodieque rexisse? atque, quamdiu hoc sibi visum fuerit, eum solum gubernaturum? Nonnè hoc mihi Omnipotentiam ejus satis clarè monstrabit, probabit, commendabit, nisi et in minutulas quasdam stultasque quæstiones descendero? Scriptura sacra sanè non eget defensoribus istis, ut Platonico cuidam Platonicè responderetur. Nihil sciunt, neque scire possunt, homines de hujusmodi rebus. Neque is, qui verus est Philosophus, in ipsa rerum elementa curiosus unquam descendet.—Sed è diverticulo in viam redeamus.—

VII. Gen. cap. 1. ver. 22. *καὶ τὰ πετεινὰ πληθυνέσθωσαν*, Heb. יְרֻבֶּה עוֹף. Articulus hîc præpositivus cum singulari עוֹף constructus, vocem עוֹף i. e. *volucris*, ejus generis omnia complecti docet, atque adeò Græcis pluraliter sumi debere, יְרֻבּוּ denique apocopatum, at aiunt, imperativè accipiendum docebit Arabicum idioma. In ver. 26, *τῶν ἑρπόντων*, ejusdem generis exemplum præbet: in hoc præterea partem orationis Hebraïcæ sc. nomen participiale, servat Interpres Græcus. Tædebit tamen omnia persequi; neque id fecerim, cum satis scio, omnes pro se ipsis hanc sat feliciter tractare posse quæstionem, eò saltèm usque, quò res postulet. Plura, uti mihi videtur, dedi quam ut quisquam perfractè arguere queat, Septuaginta, scilicet, interpretum versionem, eò omnia sus deque habere, ut potiùs pro rudi indegestâque mole haberi debeat, quàm Scripturæ Sacræ tabulâ omni honore prosequendâ, dignâque ut ab Ecclesiâ, Patribusque Christianis antiquissimis, laudibus tantis eveheretur. In eâ, lubens concesserim, multa sunt quæ Exemplari Hebraïco minimè concordant; multa, præsertim in Libris posterioribus, malè ab Interpretibus ipsis reddita. Opus est, præterea Humanum, et humanis necessariò scatens erroribus. At demtis, quæ regulæ criticæ nos demere jubeant, additisque, quæ et his addere doceamur; datoque, Interpretes exemplari haud omnibus modis absoluto fuisse usos; affirmaverim: Versionum antiquarum omnium, hanc esse Theologo commendatissimam.§ Plus ex eâ Grammatices atque Lexico-

* Vide Prælectiones meas grammaticas, p. 298, 301, &c.

† Ib. p. 355.

‡ Ib. p. 345.

§ Non possum hîc non excitare locum, magni sanè momenti, à doctissimo Grabio optimè illustratum. "Est is Esaiæ cap. 9. versu 6. ubi genuina," inquit, "LXX. interpretum versio ex Hexaplis descripta, ac Commentariis *Procopii* in Esaiam a Curterio præfixo, perinde ut in Editione *Romanâ*, ita habet: *καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας κ. τ. λ.*...." Sed Eusebius," pergit ille, "lib. vii. Demonstrat. Evangel. p. 336. hunc locum ampliorem allegat, insertis inter ista, *μεγάλης βουλῆς ἄγγελος*, et hæc, *ἄξω γὰρ εἰρήνην*, sequentibus verbis: *θαυμαστὸς, σύμβουλος*,

graphiæ verè Hebraïcæ eruî posse, quam ex Targumim, Commentariis, Grammaticis, Lexicisque Rabbinicis, omnibus; quamvis et his haud vulgarem tribuendum honorem, dixerim: neque Philonis de eâ testimonium meum facere dubitaverim, quoad statum ejus primitivum. "*Reddita,*" inquit "*sunt propria, propriis nominibus, Græcis ad Chaldaïca exactè respondentibus. Id,*" addit, "*experimentis quotidianis creditur: sive Chaldæus Græcam linguam, sive Græcus Chaldæam didicerit, in utrâque Scripturâ, tum Chaldaïca, tum ejus interpretatione, miratur germanitatem; unò rerum verborúmque consonantiam adorat.*"* Vox *Chaldaïca* hîc, ut quisque videbit, pro *Hebraïca* usurpatur; quia, uti Bellarmino placuit, vox *Chaldaïca* quàm *Hebraïca* Hebræis tunc temporis fuit notior.

VIII. Quid sibi voluerit Pagninus cum, de hâc versione loquens, dixerit hæcce quæ sequuntur, vix assequi possum: "*Nos summo studio,*" inquit, "*curâ, et diligentiâ, LXX. Interpretationem cum Hebræo contulimus: et tot invenimus addita, dempta, depravata, immutata, et ab Hebraïco prorsus aliena, ut mihi persuadere nequeam illam esse LXX. Interpretum.*"† Huic, quod fortè magis mirandum, suum quoque dat calculum Usserius Armachanus, argumentis quibusdam uti videtur è Chronologiâ petitis ad id ductus. Missâ verò isthâc quæstione, quæ et in ipsis exemplaribus Hebraïcus satis perplexa proponitur, dicendum fortassis, Pagninum nimio studio verbum de verbo, phrasin de phrasi eruendi, juxta ipsius Temporis Grammaticas et Lexica fuisse correptum, quàm ut veram de hâc versione, liberiore melioreque omninò tramite quàm sua currente, sententiam ferret: Usserium verò, insulsâ Aristææ Historiolâ de LXX. Interpretibus eousque fuisse deceptum, ut veritatem in tantâ rerum caligine perspicere, nedum eruere, ægrè potuerit.

IX. Regeret fortè quisquam, multas esse easque multò majores majorisque longè momenti discrepantias, in versione Græcâ τῶν ὁ, quàm eæ quæ suprà adductæ sunt; esse præterea additamenta, repetitiones, transpositiones, cæteraque id genus eousque in longum protenta, ut, nisi quis divinis planè polleat viribus, ea demere, corrigere, atque in ordinem redigere, nunquàm possit. Dixerim verò, quæstio apud nos est, non tàm de multitudine, aut etiam magnitudine, discrepantiarum, quàm de indole versionis, ubicumque eam cum archetypo ullo modo convenientem deprehendere possimus. Si enim eam, ita in hujusmodi locis cum archetypo conspirantem, ut Interpres optimus quisque sanè conspiraret, reperiamus; atque in his, Interpretem grammatices exercitatissimum, Lexicique optimè gnarum se prodentem, deprehendamus; nullam indè restare debere dubitationem, quin is eandem primitùs ἀκρίβειαν atque cautelam in omnibus præstiterit. Et quùm certò scimus, versiones optimas antiquas, ad crisin suprà factam in omnibus quadrare; nullus fortassis erit dubitandi locus, Versionem τῶν ὁ cum Textu Hebraïco, eorum demùm temporum ad unguem usque conspirasse: atque adeò nos etiamnum, quoad partem ejus longè maximam, reperire posse, quonam modo ii Interpretes olim textum suum legerint, intellexerint, traduxerint. Ex exemplis, præterea suprà allatis constat, Textum Hebraïcum à Septuaginta Interpretibus Græcè redditum, cum hodierno Masorethico, tantum non in omnibus exactissimè convenisse, ita ut demptis additisve vocabulis nonnullis, iisque minoris momenti, utrumque eundem omninò constituisse Textum. Multa equidem, satis scio, fuisse à Capello ejusque fautoribus ex alterâ parte congesta, atque haud vulgari doctrinæ ingeniique acumine in medium prolata; verum tamen ea, quantumvis erudita, non usque adeò sunt firmata, ut quivis statim suum iis adjiciat calculum; quod à Buxtorfio, ni fallimur, in Anticriticâ suâ satis superque demonstratum est. Capellus, iique plerumque qui se ei adjunxerunt, mihi hoc vitio omnes laborâsse videntur: Si, sc. Septuaginta Viralis Versio in omnibus cum hodierno textu Hebraïco, haud convenire deprehenderint, eam statim in nullis convenisse posse asseruerint. Nulla iis exoriebatur quæstio, numnam quædam in eâ Versione spuria censeri debuerint, aut quædam in textu Hebraïco sphalmata à dormitante Librario irrepserint. Omnia, præterea, ad Grammaticen Rabbinorum, eorumque Lexica, in multis satis vitiosa, exegêrunt: atque indè omnia susque deque nullo negotio et pænè pro captu suo continuò habuêrunt. Et utinam res hodie ultra processisset, et liberiori veriorique crisi usi fuissemus omnes! quod si ita se res habuisset, vix dubitandum quin longè cordatiores, atque in exegesi sanctarum literarum doctiores, magisque convenientes, evasissemus.

X. Antiquior igitur Masora, si qua fortè exstitit, à recentiore, uti nobis quidem videtur, quâ Textum sacrum respiciebat, longè propius abfuit quàm vulgò creditur: et, si hoc in Septuaginta Virali versione deprehendi posset, quæ omnium est antiquissima, supervacaneum fortè esset idem ex Targumim, sive versionibus Chaldaïcis quæ proximum τοῖς ὁ habent locum, probare. Dicere satis erit, eo quod nulla ex adverso orta est adhuc quæstio, eas, quantumvis ab alterutris, spectato interpretationis earum modulo variisque quibus indulgeant explanationibus, in multis satis ridiculis et ineptis, longè distarent; nullam tamen varietatem notatu dignam dare, nullam discrepantiam momentosam, aut rerum aut verborum ordinem respicientem: nullam, perspectis earum grammaticâ Lexicoque ab hodiernis paululum fortassè discrepantibus, aut doctrinæ umbram, aut prædictionis finem, diversam exhibent. Idem de Syro, secundo aut demùm tertio Ecclesiæ Christianæ sæculo, ex Hebraico Syriacè reddito, dicendum. Is enim eodem in omnibus cum Exemplari Masorethico hodierno filo currit; easdem in plerisque voces, easdem propèmodum locutiones, uti Waltonus noster benè observavit, in omnibus servat. Interpretem, quisquis is demùm fuerit, Grammaticen Hebraïcam, ejusque Lexicographiam optimè callentem, ubique deprehendimus: et, quod notatu dignum, haud paucis in locis, ipsissimis vocibus locutionibusque cum Targumim Chaldaïcis utentem; eâ procul dubio ratione ductum, quod illas ad Hebraïcas tum temporis exactè respondentes crediderit. At, quùm animus est quædam de his, necnòn de Versione Vulgatâ Latinâ Hieronymianâ postea delibare, diutiùs earum descriptione nunc immorari supervacaneum erit. Concludamus igitur, nullam insignem momentosamque discrepantiam, inter Textum Hebraïcum antiquissimum, aut demùm temporibus τῶν ὁ, cæterarumve versionum suprà memoratarum, servatam, reperiri posse;

---

θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος quæ reapse aliam versionem exhibent Hebræi פלא יועץ אל גבור אביעד שר שלום. Atqui additamenta ista non à Scribæ, sed ipsius Eusebii manu profecta, ac ab eo tanquam ipsorum τῶν ὁ juxta quædam exemplaria, non alterius Interpretis, verba citata esse, patet ex his, que paulo post subjunxit....undè vel hoc ipso colligere queas, non ex *Theodotionis* vel alius versione ab *Origene* demum illa addita fuisse. Irrefragabile verò hujus rei argumentum mihi suppeditant *Irenæus* et *Clemens Alexandrinus*, ambo *Origene* antiquiores, qui eadem vel plane gemina è suis τῶν ὁ Codicibus allegarunt. Hic enim lib. I. Pædagogi cap. 5. prope finem pag. 91. καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος....τί οὖν τὸ παιδίον τὸ νήπιον, οὐ κατ' εἰκόνα ἡμεῖς οἱ νήπιοι; διὰ τοῦ αὐτοῦ προφήτου διηγεῖται τὸ μέγεθος αὐτοῦ θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς δυνάστης, πατὴρ αἰώνος, ἄρχων εἰρήνης—ὦ τοῦ μεγάλου θεοῦ! ὦ τοῦ τελείου παιδίου! υἱὸς ἐν πατρὶ, καὶ πατὴρ ἐν υἱῷ. *Quid est ergo puellus infans, ad cujus similitudinem nos infantes sumus? Per eundem Prophetam narrat* (spiritus) *illius magnitudinem.* ADMIRABILIS, CONSILIARIUS, DEUS POTENS, PATER ÆTERNUS: PRINCEPS PACIS—*O magnum Deum! ò perfectum puerum! Filius in Patre, et Pater in Filio.*—Vide Iren. lib. III. cap. 18. et 21. Lib. IV. cap. 66. p. 363. Ed. Grabii." (Grab. de Var. Vitiis LXX. pp. 29, 30, 31.) Utramque Lectionem in exemplaribus τῶν ὁ, tunc temporis exstitisse non dubito; utramque verò ab Interpretibus iis ortum habuisse, credere cum Grabio non possum. Latinæ locum truncatum legisse videntur. Vide Bib. Sac. Lat. Sabatier p. xx.

* Lib. 2 de vita Mosis.

† Isagoge cap. ix. At sanè vereor ut id unquam fecerit. Et quum Multæ inter legendum mihi aliud suasêrunt, tutius esse credidi rem de integro tractare.

quamvis ultrò dabimus, in his versionibus multos irrepsisse nævos, nonnullosque ipsum exemplar Hebraïcum Masorethicum hodiè inquinasse. Ea tamen vitia, aut sunt nullius omninò momenti, aut crisi saniore facillimè medenda; et, cùm se nobis undique optima proponunt supellectilia critica, nulli esse timendum, ne verbum Dei satis limpidum etiamnum præ manibus non restaret.

## SECTIO VIII.

*De Masorâ, qualis sc. sese nunc in Bibliis Rabbinicis nobis ob oculos ponit.*

I. *Masora* (מָסוֹרָה) sive *Masoreth* (מָסֹרֶת), non *Mazora* (ut quidam perperàm) inter Judæos idem sonat, atque apud nos traditio: et τεχνικῶς, eam Bibliorum sanctorum crisin spectat, quam ii, longâ majorum serie, posteris tradidêrunt. Quando, vel demùm à quo, incœptus fuerit hic eorum apparatus criticus, nemo veterum literis mandavit; historia igitur ejus tenebris densissimis obvolvitur. Probabile tamen est, uti antea dictum, eum haud longè ab ætate Ezræ initia duxisse; ac forsan, in notulis tantummodo paucis à viris eruditis in Librorum suorum margine exaratis, primò constitisse; quibus indies auctis, in molem vastam, qualis hodie conspicitur, excrevisse. Judæorum plerique, suo more fabellis dediti, hunc apparatum Mosi à monte Sinai acceptum, referunt: alii autem, conjecturis innixi, aut Ezræ aut Scholæ saltèm Tiberiensi, tribuunt. Utut, tamen, res se habeat, quod parùm sanè refert, certum est eum antè annum C. N. 1548, orbi Christiano haud innotuisse: et, quod Judæi nonnulli eruditissimi profitentur, eum non modo multis magnisque hucusque scatere erroribus; verum etiam vix ejus partem dimidiam lucem aspexisse. Waltonus noster, haud ineptè quidem eum Crocodilo quousque vivat crescenti, assimilat: addiderim, et forsàn haud plures præ se fert virtutes. Nonnullas tamen habet utilitates, quas ignorare Discentes minimè deceat: et, cum gravissimæ ortæ sint de eo nonnunquam quæstiones, aut Textûs Hebraïci lectiones spectantes, aut ex iis aliquo modo pendentes, operæ pretium fore duximus, eum perpaucis denuò pervestigare.

II. Masora universa, ut ex ejus materie apparet, in duas partes discerni potest; alterâ Textûs sacri crisin, alterâ Grammaticen ejus, spectante: hâc sc. sensum ejus quodammodo definiente; illâ textum, ne ultrà limites suos præscriptos vagetur, prohibente. De his seorsim agendum.

III. Dispescitur præterea Masora in parvam et magnam. Parva Masora, vocibus Chaldaïcis curtatis expressa, in margine Bibliorum Rabbinicorum interiore reperitur. Magna verò Masora vocibus τεχνικοῖς curtatis item Chaldaïcis, à capite et à calce paginæ, et sæpè ad ejus latera, ubi Commentarius Rabbinicus deficiat, imprimitur: maxima verò ejus pars, ad finem Bibliorum relegata est, ibique ordine alphabetico disposita.*

IV. Pars igitur Prima, quæ crisin Textûs sacri respicit, atque ideò *Textualis* appellari potest; 1. versuum, vocum, et literarum numeros arithmeticos; 2. loca parallela sive concordantialia; 3. voces literâ aliquâ magnâ, parvâ, inversâ, suspensâ, curtatâ, insignes; aut 4. punctis supernè notatas; vel etiam 5. nonnullas honestatis causâ uti videtur, immutatas: spatia præterea 6. quasi omissionum quarundam indicia: 7. lectionum denique varietates, quas *Keri* et *Kethib* (קְרֵי וּכְתִיב) appellitant: necnòn, 8. catalogos aliarum à Judæis Palæstinam Babyloniamque incolentibus collectos: et 9. *correctiones* illas atque *ablationes Scribarum*, ut vocantur, spectabit.

V. Adnumerationes illas versuum, vocum, literarumque, missas meritò facimus: utpote quæ nemini bonæ frugi esse possint; missis itidem quorundam dubitationibus, utrum sc. illæ reverâ à quovis unquam numeratæ essent voces, literæ &c. aut postea ad ejusmodi examen revocatæ; ad loca concordantialia illa consideranda deveniamus. Hæc, inquam, ut plurimum in Masorâ magnâ habentur; in parvâ tamen nonnunquam adnotata sunt, e. g. In *Geneseos* capite primo, in voce בְּרֵאשִׁית, Masora magna habet in calce paginæ בראשית ה׳ ג׳ מהאן ר״פ &c. בראשית ג׳ במצעו וסי׳ בראשית ברא. Hoc est: *Vox* בְּרֵאשִׁית *quinquies occurrit, tria eorum* (loca) *in initio versûs, et duo in medio ejus, et signum eorum* est. בָּרָא בְּרֵאשִׁית i. e. creavit Deus, Gen. i. 1. et dein cætera omnia loca citantur.† Ad phrasim אֱלֹהִים בָּרָא, Masora parva notat, ג i. e. *ter.* pro, *ter occurrit:* deindè in Masorâ magnâ ad calcem paginæ habemus, ברא אלהים ג׳ וסי׳ בראשית ברא אלהים׳ אשר ברא אלהים לעשות. i. e. ברא אלהים *ter* (occurrit) et signa ejus, (loca sequentia) Gen. i. 1. *In principio creavit Deus*, ib. cap. ii. v. 3. *quæ creaverat Deus ad perficiendum*, &c. Atqui, cùm loca nimia essent ut in calcem paginæ infarcirentur, in Masorâ finali, atque ibi in columellis Alphabeticè dispositis, quærenda sunt. Hujusmodi igitur crisis, ni quis Biblia universa memoriæ mandaverit, aut saltèm libros concordantiales ad manus habuerit, omninò inutilis esset: loca enim nunquam ea numeris propriis signat. At enim verò, longè meliorem criseos materiem suppeditabunt libri concordiantales, quàm Masora ipsa quantumvis elaborata: his, igitur ad manus adductis, cæteris facilè carere possimus. Quid sentiendum sit de literis majusculis, minusculis, inversis, suspensis, curtatis, vel etiam punctis quamplurimis supernè notatis, cæteris quærendum relinquimus. Superstitionem Judaïcam, ni fallimur magis olent, quàm ut quis in iis excutiendis immorari debeat. Idem fortassis dicendum de vocibus honestatis causâ à Scribis immutatis: neque spatia illa vacua, omissionum, uti videtur, indicia, leviorem merentur sententiam. Nihil enim ad rem criticam, nihil ad grammaticen conferre possunt: neque ad conservationem Textûs sacri quicquam olim dare potuerunt.

VI. De lectionis varietatibus, quæ τῶν *Keri* et *Kethib* nomina sortitæ sunt, aliud omninò sentiendum. Eæ enim neque conjecturas quasdam Judæorum, neque explicationes lectionis textualis, ut quidam somniârunt, proponunt; verùm lectiones variantes sat bonas, easque satis antiquas lectoribus dabunt. "Hæ igitur lectiones *Keri*," inquit Kennicottus in Dissertatione suâ Generali §. 39. "quum insignes sint et valdè utiles; quo, quæso, nituntur fundamento? ... ex hâc nostrâ," subdit, "collatione auctoritas horum *Keri* stabilita est. Inveniuntur enim *Keri* in textu manuscriptorum, qui à nobis excussi sunt; et plerumque, quanto vestustiores sunt manuscripti, tanto major inest iis harum lectionum numerus: ... nunc patet, ex omnibus Keri in editione Hooghtianâ (fortè 1000) dari tantum 14, quæ non in aliquo saltem manuscriptorum nostrorum reperiuntur. Et quod ad hæc 14 attinet; fortassè in iis peccatum est, post tempora manuscriptorum." Pergit, "Exemplum de *Keri* marginali, quod nefas foret silentio præterire, invenitur in 1 *Sam.* 17. 34—*pascebat servus tuus patris sui gregem; et veniebat leo et ursus, et auferebat* (זה) HUNC *è grege.* In margine, è regione verbi זה *(hunc* vel *hoc)* nunc invenimus שה ק׳ *agnus;* quæ indubitatè verissima est lectio."

VI. Has varietates antiquitùs exstitisse, eò probatum est quod nonnunquàm apud Septuaginta, aut etiam Vulgatam Latinam, τὸ *Keri* redditum est, cùm tamen in Chaldæo τὸ *Kethib*, e. g. Exod. xi. 21; Lam. iv. 18; Eccles. iv. 9, &c. in nonnullis verò, Septuaginta et Vulgata sequuntur τὸ *Kethib*, ut Jos. xv. 53; Lam. v. 3, 5. In aliis autem οἱ ὁ sequuntur τὸ *Kethib*, Vulgata verò τὸ *Keri*; ut Lam. ii. 2; Esth. i. 14. &c. quod et dici potest de Versionibus Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis, ut Waltonus noster, cæterique benè multi anteà observârunt. Hùc præterea

* De usu abbreviationum hinc indè in Masorâ obviarum, consulendus est omninò Buxtorfii Tractatus cui titulus *Tiberias*.

† Abbreviaturæ hic obviæ è Tiberiade Buxtorfii petendæ atque solvendæ.

tendunt testimonia Rabbi Ben Khajim, Kimchii,* aliorumque inter Judæos sat multorum, varietates hasce, sc. ex collatione codicum profluxisse, atque cum dubii hæsêrunt veteres Judæi utra anteponi debuerit, alteram in textu, alteram in margine, posuerunt: marginali, uti videtur, ut plurimum, notas vocalium adscribentes: et, quod maximè notandum, lectiones nonnullæ in his etiamnum reperiuntur, citatis in Novo fœdere omninò convenientes. Unam tantum adnotabo, majoris tamen momenti. In Ps. xxii. v. 17. in textu hodierno legimus כַּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי *Sicut Leo manus atque pedes meas:* verùm in masorâ magnâ marginali ad Num. xxiv. 9. lectio hæcce laudatur tanquam כארו cum ו finale, non י. Et Rabbi Ben Khajim, hujus Masoræ collector primus et Editor, fatetur se in quibusdam libris accuratissimis reperisse כארי in textu, seu *Kethib*, כארו verò in margine, seu קרי *Keri*. Ita et Jahnius, in suâ Bibliorum Hebræorum editione ad hunc Psalmum, discussis Lectionis varietatibus, tum in Editionibus præcipius, tum in Codicum collationibus à Kennicotto Rossioque institutis, adnotans concludit: "Pro lectione כארו omnes stant antiqui, aliqui codd. quæpiam editt. quæ suspectæ esse nequeunt; nam etsi à Christianis procuratæ fuerint, non exhibent tamen כרו, sed כארו, quod itaque in codd. repertum, et nequaquàm ex Vulg. intrusum fuit: et denique ipsa Masora hanc lectionem refert, nec corruptionis argui potest;"..." Pro כארי" addit, "militant codd. ferè omnes, sed nullus veterum exprimit." Si, igitur כאו, ceu cognatum cum כָּאָה, aut כר, formæ autem τοῦ כָּאַם (Hos. x. 14.), et ita כָּאֲרִי seu כארו sumamus, sensum habebimus cum τῶν ὸ ὤρυξαν penitùs convenientem, eumque ab ipsâ Masorâ hucusque conservatum! †

VII. Sed, et aliam eòdem recidentem lectionem adnotare non pigebit. "Utar," ait Doctiss. Kennicottus, in suâ Dissertatione generali, §. 17. "primum citatione posteriore; quia fas est ut agmen ducat ea, quæ *maximi in se est momenti;* et quæ Variam eam ostentat Lectionem, quæ omnium quotquot in hoc opere colliguntur certo certius est gravissima: et quæ denique (ni fallor) majoris omninò est ponderis quàm varia lectio quæcunque alia, à Criticis usque ad hunc diem studiosè notata, &c." "Hoc tamen," pergit ille, "certum est, vocem hanc non modo sæpius imprimi, sed in omnium editionum Masoreticè impressarum textu revera exprimi, in numero pluralı, חסידך: quæ vox pluralis, rectè reddita, significet necesse est *sanctos tuos.*"..." Operi huic nostro laudi ducendum erit, si veritatem Apostolorum confirmet."...." Gloriari enim nunc licet de exemplaribus manuscriptis et impressis CENTUM ET OCTOGINTA; in quorum Textu, repugnante quidem Masorâ, sed consentientibus et Contextu et omnibus antiquis versionibus et paraphrasi Chaldaïcâ, legimus חסיך SANCTUM TUUM." Locus est, ut omnes nôrunt, in Ps. xvi. v. 10. ubi, in margine interiore, notulam hancce addidit Masora parva: יתיר יוד, i. e. πλεονάζει litera י in voce חסידך. Vox ista idcirco secundum Masoram, חסדך numero singulari, non חסידך in plurali, legi debet. Editiones igitur Masoreticè impressæ, cum Apostolo benè conspirant, adeò ut vix gloriari licuit de hac lectione tanquam nuperrimè è tenebris erutâ à doctissimo Kennicotto: et utique mirandum, qui vir alioquin perspicacissimus eousque obcæcari potuerit! ‡ Hæc de τῶν *Keri* et *Kethib* bonitate et usu sufficiant.

VIII. Ad variæ lectionis catalogos, à Judæis in Palæstinâ aut demùm in Babyloniâ degentibus, collectos quod attinet, ii primò a Felice Pratensi in lucem emissi sunt A. D. 1518 Venitiis. Primus et, ut mihi videtur, antiquissimus est catalogus ille, qui sine nomine prodiit, atque varietates inter Babylonios Palæstinensesque tabulatim exhibuit. Loca omnia in eo adnotata, in summum ad 218 exsurgunt: et varietates solum in literis et vocibus, alto de punctis vocalibus et accentibus silentio servato, proponit. Drusius primus, teste Capello, loca scripturæ apposuit, quæ et à Waltono in Polyglottis Londinensibus iterum cusa sunt. Capellus, qui multus in hâc quæstione olim fuit, discusso hoc syllabo à capite ad calcem usque, tandem sententiam profert; "Ex quibus videre est quam nullius omninò momenti sit omnis illa varietas, perindè enim omninò est utramlibet sequaris lectionem." "Pauca admodum loca sunt," subdit, "in quibus altera lectio sit alterâ paulo melior atque commodior."

IX. Pauca tamen notanda veniunt de crisi Capelli in hunc lectionum variarum syllabum: et primò quidem, quod Collectorem negligentiæ incusat, eò quod lectiones Occidentalium hinc indè perperàm notâsset. "Porro," inquit, "quisquis ille fuerit, et quocunque tandem tempore vixerit, certum est eum vel fuisse in conficiendo Indiculo illo negligentissimum, vel usum fuisse codice ab hodiernis S. Bibliorum editionibus longè diverso." Et paulò post. "Sunt igitur in eo Syllabo 55. loca in quibus ille Occidentalium lectionem malè repræsentavit, si ea æstimetur ex hodiernis S. Bibliorum editionibus, &c."§ In hâc crisi Capellus, lectiones Occidentalium easdem cum hodiernis nostris ubique fecit, eò quod is, editionem Palæstinensium in manus nostras omninò devenisse, crediderit; Orientalium verò, sive Babyloniorum, aliam recensionem adhùc servasse. At vero similius esse crediderim statuere, distinctionem illam jamdudum evanuisse, illasque scholas in unam, Hispalensem fortassis, coaluisse: malè igitur, ni fallor, Collectorem carpsit Capellus. At enim verò, si codices verè Orientales Occidentalesque ad manus habuisset Capellus, videre atque dijudicare perfacilè potuisset, num Indiculum hocce diligentur confectum esset necnè, alioquin verò minimè. Neque ei omninò fidem adstruerem dicenti, "duo tamen inveniuntur exempla variæ lectionis circa *He raphatum* et *mappicatum.*" Ac si punctum in ה scriptum tum temporis repertum fuisset. Collector verò voce מפיק *emissum* eo utitur, quod ה radicale fortius efferebatur, ut et Persæ hodierni de suo ה radicale loqui amant, quamvis nullo puncto id signaverint. Pars permagna igitur criseos Capelli his de lectionibus, haud ita benè firmata est. Cæterùm, ad Syllabum huncce variæ lectionis, is sum ut eum valdè antiquum esse censuerim, et partem Masoræ quondam constituisse. In eum tamen sphalmata pauca fortè irrepsêrunt, quorum nonnulla acutè ut solet adnotavit Capellus. ‖

X. Alia varietatis sylloge sub nominibus Ben Ascher et Ben Naphtali, initio sæculi xi. uti creditur, prodiit. Ben Ascher Palæstinensis fuit, Ben Naphtali autem Babylonius. "Duo isti viri," inquit Elias Levita in Libro suo cui titulus Masora Hammasoreth, "fuerunt principes Academiarum in Masorâ, unius nomen fuit Jacob filius Naphtali, alterius verò Aharon filius Ascher." Porrò Maimonides, in Libro אהבה, sectione ספר תורה cap. viii., ita de iis loquitur: "Liber," inquit, "cui innitimur his in rebus, liber est in Ægypto notissimus qui complectitur universos viginti quatuor libros (i. e. totum V. Test.), fuitque Jerosolymis jam à multis annis, ut ex eo corri-

* Dissertatio Kennicott. generalis § 20. Secundum Capelli computum, hujusmodi varietates in Editione Bombergi in universum exsurgunt ad numerum 1259, in Plantiniana ad 902, in Scriptis Eliæ Levitæ ad 848. Critica Sacra. Edit. Scharfenbergii, Tom. i. p. 178—9.

† In § præterea 18. Psalmorum versionem Syriacam citat (i. e. in Ps. 40. 7.) codicemque laudat Parisiensem, qui ܘܦܓܪ ܠ ! ܝ *corpus autem*, &c. habet. At Syri ipsi hanc lectionem è Septuaginta esse depromptam liberè fatentur. Vide Wisemani Hor. Syr. p. 243. Arabicam versionem quam laudat Kennicottus item è LXX. desumpta est. De hac lectione videatur omninò Thesaurus Philologicus Hottingeri. Lib. i. Cap. ii. Quæst. iv. p. 190.

‡ Antea adnotavi in controversiis meis Persicis. Camb. 1824. p. 524. Capellus præterea in sua Criticâ Sacrâ idem observaverat. Lib. III. Cap. xiii.

§ Critica Sacra Lib. III. Cap. xviii.

‖ Has lectiones vice alterâ impressit Buxtorfius in Bibliis Rabbinicis Basil. ad finem Tom. ii. necnon Waltonus, locis omnibus notatis in Tomo vi. Bib. Polyglottorum Londinensium.

gerentur atque emendarentur libri; omnesque eo nituntur quia correxit atque emendavit eum filius Ascher."* "Et nos etiam (inquit Elias) sequimur ejus lectionem in his omnibus regionibus. Orientales autem sequuntur lectionem filii Naphtali. Dissensio autem quæ est inter eos, quia non est nisi circa accentus et puncta, dubium non est quin annotata illa varietas, postquam inventa et addita sunt puncta et accentus." Neque hoc tam liquidò constat, quàm Elias videre sibi visus est: neque alterâ ex parte, ut Capellus suprà, alterum Indiculum fuisse factum antè horum inventionem, quia scilicet nulla eorum in eo occurrat mentio. Collector, ut et post eum Kennicottus in sua collatione, putare potuit se satis omnibus facturum, si varietates literarum solum adnotaverit; et Ben Ascher et Ben Naphtali, scopos suos quisque omninò attigisse, si vocales accentusque duntaxat in examen vocaverint. Hujusmodi argumentatio est nimis τῇ ὑπόθεσει δουλεύειν, et Viris tantis prorsùs indigna. Sed missâ hâc quæstione, dixerim, hanc syllogen vix quicquam memoratu dignum complecti, perspectâ aut ejus materie, aut denique, ætate. Varietates à Doctiss. Kennicotto de Rossioque collectæ, necnon eæ quæ è Targumim, LXX. virali, cæterisque veterum versionibus, expiscerentur, longè sunt majoris pretii, tum quoad crisin Hebraïcam Textualem, tum ad ejus indagandum sensum genuinum.

## SECTIO IX.

*De ablationibus et correctionibus à Scribis factis.*

I. Lectiones, quæ Judæi appellant עִטּוּר סוֹפְרִים *scribarum ablatio*, et תִּקּוּן סוֹפְרִים *scribarum correctio*, partem constituunt Masoræ textualis. Quando aut à quo primò institutæ fuerint eæ, nemo est qui definire queat; neque multum interest: sunt enim media critica quibus, nullo dispendio rerum, egere possimus. Illarum prima, ablationem literæ ו à quinque tantummodo vocibus, ceu ab imperitâ plebe additæ, respicit. Loca sunt Gen. xviii. 5. xxiv. 55. Num. xxxi. 2. Psalm. lxviii. 26. in quibus omnibus, ablatio hæcce dabit אַחַר pro וְאַחַר, ut et in Bibliis nostris impressis reperitur. De ultimo loco Scharfenbergius observat, "in nostris exemplaribus biblicis scriptum est cum ו, quod mirum, non fuisse ab auctoribus editionis observatum ex notâ Masorethecâ." Mirum equidem, dixerim, Scharfenbergium fuisse ita hallucinatum, extat enim locus in exemplaribus nostris, אַחַר non ואחר. Alius præterea locus est Psalm. xxxvi. 7. ubi legendum מִשְׁפָּטֶיךָ pro וּמִשְׁפָּטֶיךָ. In Masorâ magnâ tamen, quatuor tantum adducuntur loca: et in his, versiones antiquæ non semper se Masoræ convenientes sistunt. In primo οἱ ὁ habent καὶ μετὰ ταῦτα. Chaldaïca Onkelosi addit בָּתְרַיי *postea verò*. Syriaca ܒܬܪ̈ܝܗ *et postea verò*. Et Arabs Erpenii وبعد *et postea*. In secundo, i. e. Gen. xxiv. 55. οἱ ὁ habent, καὶ μετὰ ταῦτα. Vulgata Lat. *et postea*. Chaldaïca, ut antea בָּתְרַיִן. Syriaca ܘܒܬܪ̈ܝܗ *et tum*. Et Saadias Haggaon وبعد *et postea*. Et ita in Num. xxxi. 2. excepto uno Arabe Erpenii. Conveniunt omnes cum Masorâ in Psalm. lxviii. 26: et in ultimo loco nulla est variatio notabilis.

II. Altera crisis Masorethica, תִּקּוּן סוֹפְרִים *Scribarum correctio* dicta, quasdam lectionis varietates haud minoris momenti spectat. Variant Judæi de earum numero; cum enim octodecim pollicentur, ut loquitur Scharfenbergius,† sedecim tantum præstant. "Nos autem," inquit ille, "ex Judæorum antiquis Libris viginti et unam eruimus." Locus primus est Gen. xviii. 22. ut textus ita emendatus, cum LXX. Vulgatâ Latinâ, Onkeloso, Jonathane, et utroque Samaritano, conspiret. Correctio, igitur, siqua unquam facta est, vulgare aliquod inter Judæos erratum fortassè respexit.

III. Secundus locus est Num. xi. 15. in quo Versiones suprà memoratæ omnes, in hodiernâ correctâque, uti dicitur, lectione, amicissimè concordant. Idem sanè dicendum de loco tertio sc. Num. xii. 12. Locus quartus est 1 Sam. iii. 13. מְקַלְלִים לָהֶם בָּנָיו ubi, ut Rabbini volunt, filii Heli Deo ipsi maledixerunt: locum verò correxerunt Scribæ, ut et hodie habetur, ne sententia hujusmodi Deo ingloriosa, in Bibliis sanctis appareret. οἱ ὁ sanè, κακολογοῦντες θεὸν οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, reddiderunt. Sed est fortassè loci interpretatio exegetica potius quàm translatio. Syrus legit לֵיהּ pro לָהֶם, nisi fortè is etiam, cum Chaldaïco, interpretationem maluit, quam translationem, dare. Arabs idem habet cum Syro. Sed nihil definio. Locus quintus 2 Sam. xvi. 12. textum exhibet בעוני. Masora parva verò in margine, בעיני, cujus puncta vocalia lectio textualis sibi substernit; adeò ut sensus eliciatur, *in oculum meum*, quem R. Salomon רמזה עיני h. e. *lacrymam oculi mei*, post Jonathanis Targum, significare facit; Masora magna habet, initio Num. ubi correctiones hæ recensentur. Septuaginta, Syrus, Arabs, et Hieronymus, meliorem utique produnt lectionem sc. עָנְיִי *afflictionem* seu *humiliationem meam*. Prava igitur omninò videtur esse hæc crisis, sive à Doctore quodam Rabbinico originem suam duxerit, sive à Librario negligentiore.

IV. Locus sextus industriæ Scharfenbergii debetur: in 2 Sam. xx. 1. reperitur in phrasi לְאָהֳלָיו, *in tabernacula sua*. Tanchuma locum quondam fuisse לְאָהֳלֶיךָ, *in tabernacula tua* testatur, Scribasque eum in לְאָהֳלָיו mutâsse, ut et in hodiernis exemplaribus omnibus habetur, et à Chaldæo, Syro, et Arabe, legitur. Vulgata autem Latina, necnon Septuaginta, lectionem à Tanchuma allegatam sequuntur. Notandum, ו finalem in ך facili lapsu Librarii mutari posse, et vice versâ. Utraque lectio antiqua esse videtur, et sensum satis commodum fundit: at utra verior esset nemo fortassis dixerit.

V. Septima correctio est in voce עָלַי *super me*, pro עָלֶיךָ *super te*, honoris, uti volunt, causâ, ne Deo sc. opprobrio esset. Septuaginta, secundum codicem Vaticanum, עליך legerunt; cæteræ omnes versiones antiquæ, cum lectione correctâ hodiernâ faciunt. Existimem tamen correctionem, si reverâ ita vocari debeat, casui Librariorum quàm Scribarum solertiæ potiùs esse adscribendam. Job. vii. 20.

VI. Octava correctio in Job xxxii. 3. reperienda dicitur, ubi, loco אִיּוֹב *Job*, quondam fuisse אֱלֹהִים sive אֱלוֹהַּ asserunt Magistri quidam. Atqui, nec codex hodiernus MS. nec versionum antiquarum ulla, hujusmodi suppeditat lectionem. Lusus est fortassis ingenii cujusvis Rabbini Doctissimi.

VII. Correctio decima est in Psalm. cvi. 20. ubi כְּבוֹדִי, ut quondam legebatur, fingunt à Scribis fuisse immutatum in כְּבוֹדָם *gloria eorum*. Sed nulla veterum versio ejusmodi mutationem agnoscit: omnes namque consentiunt in lectione כְּבוֹדָם. *gloria eorum*: neque aliter Chaldæus in phrasi אֱקַר רְבוּתְהוֹן i. e. *gloria magni illius eorum*: voce רְבוּן commentarii loco datâ. Idem fortè dicendum de correctione Hoseæ iv. 7. in vocem eandem cadente. In Jer. ii. 11. similem correctionem fingunt Magistri in phrasi כְּבוֹדִי, quam olim scriptam fuisse כְּבוֹדוֹ affirmant. At versiones antiquæ omnes, cum exemplaribus hodiernis miro consensu istiusmodi correctionem respuunt. Chaldæus tamen omninò παραφράζει, ideòque excipi fortassè debeat.

VIII. Lam. iii. 20. Aliam hujusmodi correctionem profert, in עָלַי *super me*, pro עָלֶיךָ *super te*: sed nullum ejus vestigium reperiri potest aut in versionibus antiquis, aut in Codicibus quibusvis hodiernis. Est igitur figmentum Rabbinicum, nisi malles istud עָלֶיךָ in quibusdam olim exemplaribus, vulgari usu tritis, fuise exaratum. Decima tertia correctio, אִמָּם in אֵמָּם. Ezech. viii. 17. transformâsse dicitur. Sed et hanc figmentis supra memoratis adscribere mallem, utpote nulli omninò auctoritati idoneæ innixam.

* Capell. Crit. Sacr. Lib. III. cap. xviii.

† Capelli Critica Sacra, Lib. III. cap. xviii.

IX. Decimam quartam dabit correctionem Hab. i. 12. in voce נָמוּת pro תָּמוּת ut Masorâ, vel pro יָמוּת uti vult Tanchuma. Septuaginta verò et Hieronymus, hodiernam lectionem sequuntur. Syrum vitio laborantem corriget Arabs, لَعَصَمَ *lex* immutans in لَعَدَّ *moriemur*, ita ut, tum Arabica تموت, tum Syriaca لَعَدَّ, cum Hebraïcâ נָמוּת penitùs consentiat. Commentitia igitur est illa Scribarum correctio.

X. Decimus quintus correctionis locus est Zach. ii. 12. in voce בְּנִי, pro עֵינִי. At mera est hæc varia lectio, à temporibus antiquis nota. Vulgata Latina priorem sequuta est, posteriorem Septuaginta, Chaldæus, Syrus, Arabs. Ratio correctionis hujus fictæ à Tanchuma* prolata, Philosophiam verè Rabbinicam sapit.

XI. Correctio decima sexta est in Malach. i. 13. locutione אתי sc. in אותו mutatâ. Hieronymus verò in Vulgatâ Latinâ, Septuaginta, Chaldæus, Syrus et Arabs, lectionem unam אותו agnoscunt: altera fictitia est. Has, unâ fortè exceptâ, adnotat Masora; Rabbinorum commentarii dabunt quinque plures, Ps. sc. lxxiv. 23, in עֹרְרֶךָ et קָמֶיךָ, quæ quondam עֹרְרַנִי et קָמַנִי scriptæ esse potuerint: idem præterea factum in Ps. lxxxiii. 3; cxxxix. 21, 22; Jud. v. 23. et demùm in Exod. xv. 17. In quos, loco corollarii, addit Mekilta. "Non dixit insurgentes in me, sed insurgentes in te, *ut ostendat, omnes qui adversantur Israeli*, reputari quasi adversarentur Deo benedicto."†

XII. Quasdam præterea addit Waltonus ex Porcheto (Prol. 7. § 10.) ut, Mich. i. 10. ubi התפלשתי est pro התפלשי, Hos. ix. 12. בשורי pro בשרי. Et ex J. D'Espeires, Deut. xxviii. 30. ישכבנה pro ישגלנה. Et Galatinus affirmat "loca istiusmodi plura esse, ita ut vix recitari possint." Sed pace Doctorum magni sanè nominis istorum, hæc leviora sunt, quàm commentaria ista Judæorum: dato enim illos nova quædam hinc indè in glossis proposuisse, vetera tamen ii non destruebant: omnibus præterea in examen revocatis, unusquisque vel hebetioris ingenii statim videbit, ex his multa reverâ nunquam fuisse immutata, nedum è medio sublata. Nemo igitur in hisce, Judæos corruptionis reos peragere poterit, quod et ferè omnibus haud ita pridem in deliciis erat: varietates enim omnes quæ deprehendi possint, versionum alterutra antiquarum agnoscit: emendationes verò istas jactatas, usquam aut loci aut temporis exstitisse nemo est qui demonstrare queat.

XIII. De vocibus illis præter consuetudinem punctatis perquirere, lubentes supersedemus, satis esse ducentes loca eorum pleraque dare, sc. Gen. xvi. 5; xviii. 9; xix. 33; xxxiii. 4; xxxvii. 17; Num. iii. 39; ix. 10; xxxi. 30; xxix. 15; Deut. xxix. 28; Jes. xliv. 9; Ezech. xli. 20; xlvi. 22; Ps. xxvii. 13. Hæ usui olim aliquali, fortassè superstitioso, inservire potuerunt; attamen quis is fuerit nemo adhuc divinando assequi potuit.

## SECTIO X.

*De vocibus quibusdam legendis, quamvis in textu scriptæ non reperiantur: vel, ut Judæi eas appellant,* קְרִי וְלֹא כְתִיב.

I. Hujusmodi voces supplendæ, in universo Textu sacro sunt tredecim. Loca earum in Textu, puncta vocalia solum occupant, vocibus ipsis in magine è regione positis; sunt Jud. xx. 13; Ruth iii. 5; 2 Sam. viii. 3; xvi. 23; xviii. 20; 2 Reg. xix. 31, 37; Jerem. xxxi. 38; l. 29; Josue xxii. 34; 2 Reg. xx. 13; Ezech. ix. 11; Jes. liii. 4; lv. 9; et Psalm. xcvi. 2. In his tamen Editiones variæ variantur. Eædem observandæ veniunt in Talmude,‡ et Libro cui titulus, Masora Hammasoreth, Eliæ Levitæ. Illud sex tantùm connumerat, hic octo, et denique in prefatione, decem. Avenarius præterea in Grammaticâ suâ Hebraïcâ duodecim recenset. Sunt igitur eæ variæ lectionis supellex vera, et τοῖν *Keri* et *Kethib* suprà recensitis prorsùs adscribenda.

*De vocibus scriptis sed non legendis, i. e.* כְּתִיב וְלֹא קְרִי.

II. Voces istæ ad quinque numero tantùm exsurgunt; sunt hæ sequentes, אם, in Ruth iii. 12; 2 Sam. xiii. 33; xv. 21; Jer. xxxix. 12; נא, in 2 Reg. v. 18; את, in Jer. xxxviii. 16; יודך, in Jer. li. 3; et denique חמש, in Ezech. xlviii. 16. His in locis, voces istæ omnes à Doctoribus Judæis πλεονάζειν creduntur, at quàm rectè unusquisque pro semetipso judicare potest. Duæ tantum, ut nobis quidem videtur, verè abundare dici possunt, יודך sc. in Jer. li. 3; et חמש in Ezech. xlviii. 16. quæ, dormitante Librario, in Textum irrepere potuerunt. At fortè abs re non foret quædam de his adnotare.

III. In 2 Reg. v. 18. ישלח est primâ vice sine נא; et hinc fortassè concludebant Talmudici, hanc vocem abesse debere in loco secundo. Atqui, ni fallimur, נא inibi additur emphaseos gratiâ; et eo sensu vim Textui probè conciliat, statui precantis valdè opportunam.§ In Jer. xxxviii. 16. est locutio haud adeò insolens, ut indè extrudi debeat vox את. Locus ita se habet, "חַי יְהוָה אֹתָּ אֲשֶׁר עָשָׂה לָנוּ אֶת־הַנֶּפֶשׁ הַזֹּאת אִם־אֲמִיתֶךָּ וגו, et hoc modo reddi potest. *Per vitam Jehovæ, quodque hoc nobis fecerit corpus, minimè te morti tradam*, &c. Duas Rex jusjurandi conditiones, ut nervosius indè juramentum ejus evadat, instituit; innuitque, ut eæ modo dictæ conditiones se nobis jam pro compertis sistuntur, ita quoque altera fixa immotaque manebit. Vim particulæ את,‖ nec Talmudici, nec recentiores Grammatici Hebræi, satis sunt assecuti; atque hinc factum est, ut eam hîc loci πλεονάζειν ii crediderint. Aliter tamen res se omninò habet; et locus, alioquin satis jejunus atque frigidus, semet nervosissimum atque elegantissimum vindicabit. Ad particulam אִם quod attinet, in locis quatuor suprà laudatis, locutioni usuique Hebraïco se omninò commendat: neque cur è Textu ejiciatur, ratio ulla valida excogitari potest. His in locis omnibus, Bibliorum editiones omnes, puncta vocalia omittunt; et (quod de τοῖς קְרִיוֹת *Keri, lectionibus*, dicendum in universum) vocem in textu circello notatatam, in margine verò è regione ejus scriptam emendationem, sive varia ea sit lectio, sive adnotatio Rabbinica, repertum iri. De vocibus autem, quæ, licet separatim scribantur, junctim tamen esse legendas censuerint Rabbini; et, vicissim, quæ jam divisæ exarantur, junctas tamen ii legendas judicârint,¶ quæstionem instituere, operam fortassis atque oleum esset perdere: industriæ igitur Tyronum eas meritò linquendas duximus, de aliis majoris equidem momenti, iisque, uti speramus, emolumenti pluris futura, tractaturi.

## SECTIO XI.

*De eâ Masoræ parte quæ Grammaticen, sive interpretationem Sacri Textûs exegeticam, spectat.*

I. Hanc Masoræ Judaïcæ partem alteram, ut omnes nôrunt, insectare atque vitio verti, mos adeò ubique propemodum invaluit, ut vix unus aut alter reperiatur qui mentionem ejus vel injicere, nedum in suos usus convertere, ausit. Opus præterea esse humanum, nonnulli religiosiores fortè quàm sapientiores pertinaciter conclamitant, atque adeò à Verbo Dei θεοπνεύστῳ omninò sejungendum. Regesserim, tamen, Is qui veritatem quàm auram popularem assequi malit, necessè est caveat, ne verbis speciosis decipiatur: et, quùm antiquiora

* Critica Sacra Capelli Lib. III. Cap. xviii. Ed. Scharfenbergii.
† Ib. p. 455.
‡ Massechet Nedarim, Cap. iv.

§ Repetitiones vim locutionum adaugent vide Prælect. Heb. meas. p. 314.
‖ Ibid. p. 331. ¶ Ea omnia in examen vocata reperientur in Criticâ sacrâ Capelli Ed. Scharf. Tom. i. p. 188. et seq.

verioraque fortassis sejungere suadetur, ne eorum loco recentiora humanique ingenii, haud falli nescii, magis olentia substituat, succenturiatque. Quæstio non est de iis, qui spiritu Divino auxiliarentur, sed de iis solùm, qui humanis mediis ad veritatem assequendam necessè est utantur: et, de his disserentes, nulli dubitamus affirmare, antiquiora tutiora esse, non quod sibi ea auctoritatem humanâ majorem vindicare possint, sed quia à linguæ sanctæ ingenio propiùs absunt. Indagine saniore, ut experientiâ quidem didicisse videmur, Veteres quàm Recentiores usi sunt. Ad hæc, à temporibus inspirationis ii propiùs aberant; et multa traditione, morum atque consuetudinum usu communi, rituum præterea quotidianâ observatione nobis omninò ignotâ, à Majoribus accepisse potuerunt; et vix dubius hærebit quisquam quin acceperint. In quibusdam nobis fortassè inferiores ii fuerunt. Ingenii sc. acumine et exercitatione, linguarum scientiâ, supellectili grammaticâ, scientiarum augmentis, cæterisque hujusmodi auxiliis criticis. Sed de linguæ ipsorum pronuntiatione, structurâ, Scripturarum sanctarum scopo, quoad exteriora, eos nobis longè superiores fuisse, necessè est fateamur. Sed et critica nostra provectiora hodierna omnia huc recidunt, et Linguarum Orientalium status excultior planè commonstrat, Veteres hosce criticos, in re Grammaticâ, Hermeneuticâ, Antiquariâ, exercitatissimos evasisse; et, sicubi, utpote errori obnoxii, peccaverint, peccata tamen eorum ejusmodi esse, ut eos nemo ignorantiæ temeritatisve insimulare possit: et, quod instar omnium est, felicissimos semet ii crediderunt, qui ad ipsorum commentarios stabiliendos, horum translationes transferre quiverint. Sunt tamen qui dicunt, et horum fortassis dux et coryphæus est Simonius Jesuita, Doctores sc. hosce in re Grammaticâ admodum fuisse rudes, eò quod Librum nullum grammaticum composuissent, priusquam Arabes ii tædam suppeditâssent. At, regesserim, harum rerum Peritiores benè nôrunt, Libros grammaticos vix usquàm compositos fuisse, donec tandem Linguæ istius gentis scientia ad culmen ejus usque provecta atque perpolita fuisset. Ita sanè res se habuit apud Græcos, Romanos, Arabes, et nosmetipsos. Et, ad Persas quod attinet, quæstio oriri potest, Annè adhuc Liber quivis grammaticus Persicus, usui vulgari accommodatus in lucem prodierit; et tamen ii, Orientalium omnium propemodum sunt elegantissimi. Potest itaque gens quævis suæ linguæ maximè esse gnara, eamque accuratissimè conscribere, explanare, vel etiam in aliam exactissimè transferre, nullo adhùc Libro grammatico in lucem emisso: et hoc potuerunt, si alii quicunque, et veteres quoque Hebræi; quod et eos fecisse, posthâc demonstratum dabimus.

II. Masora demùm *Grammaticalis*, vocum syllabas, formas, compositiones, sive id componendo sive syntacticè adjungendo factum fuerit, respicit: illud vocalium literarumque additione; hoc accentuum operâ, efficit: atque ideò ea in linguam scripturamque sanctam, amplissimas exercet vires. De vocalium indole, potestatibus, sonis, accentuumque rationibus, satis in Prælectionibus meis Hebraïcis, jamdudum egi;* isthùc igitur Lectores in præsentiarum remittimus: comparationes quasdam inter Textum Hebræum Paraphrasesque Chaldaïcas, sive Targumim uti appellantur, et Versionem Syriacam eo fine ut, tum textûs integritatem hodiernam, tum scientiæ grammaticalis apud Veteres Hebræos usitatæ, specimina quædam suppeditemus, daturi.

## SECTIO XII.

*Comparatio Textûs Hebraïci in locis quibusdam Geneseos, cum Chaldaïcâ Onkelosi, necnon Syriacâ versione quam Peschito appellant, sparsis hinc indè notis criticis.*

I. Gen. c. i. v. 1. בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים. Accentuum potestate, vox prima בְּרֵאשִׁית cum secundâ בָּרָא, copulam nullam Grammaticalem agnoscit: et ea, tum à vocis formâ tùm etiam ejus compositione, significet necessè est, *in principio*. Hæc igitur phrasis cum sequente בָּרָא, quæ sibi verbi formam vindicat, non est grammaticè sumenda, verum absolutè quodammodo construenda. In voce secundâ בָּרָא accentum copulantem habemus, ita ut בָּרָא, juxta Masoram, cum voce sequenti necessè est construatur: et, quùm vox formam verbi induit, אֱלֹהִים ceu ejus nominativa omninò est accipienda. At numero, dixerit forsitàn quisquam, non concordant. Respondeo, Hebræi *formales* equidem nonnunquam habent constructiones; sed et persæpè ad sensum loci eæ conformantur. Vox præterea אֱלֹהִים non pluraliter sumi debere, quamvis pluralem præ se ferat formam, sed superlativè; ita enim loqui amant Orientales, ut excellentiam quandam pluraliter loquendo innuere videantur. Vox igitur אֱלֹהִים, non tam Dii, quàm *Venerabundus*, sonabit; radice ejus אָלַהּ sive Arab. اله *adorare, venerare*, &c. indicante. Tota igitur pericope sonabit: *In principio, creavit Deus*, et propositionem particularem, sententiamque, ut loquuntur Logici, dabit complexam: hoc sensûs complementum indicat accentus Athnach (֑) sub voce אֱלֹהִים positus. Quæ sequuntur, sc. אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ complementaria, sive adscita dici possunt: et accentuum operâ sibimet adinvicem conjuncta aut etiam sejuncta sunt. Analysin horum dare supervacaneum esset: dixerim tamen, constructionem illam grammaticalem, quàm Masorethæ proponunt, ejusmodi esse, ut melior à quoquam vix, ac ne vix quidem, substitui posset, respectu ad sensûs loci distinctionem conservationemque habito.

II. In hâc primâ Geneseos pericope, verbum de verbo, grammaticam Masorethicam in omnibus ac propémodum vocabulorum formis servantes, reddiderunt *οἱ ἑβδομήκοντα*, uti antea observatum, Vulgata item Hieronymi, Onkelosi Targum Chaldaïcum, et versio Syrorum simplex. Arabica tamen Saadiæ Haggaon, et Arabica Erpeniana, scrupulo quodam stimulati, discrimen leve quidem quoad sensum dabant, respectu ad grammaticen habito. Uterque eorum primam propositionem ita reddidit, أَوَّلُ مَا خَلَقَ اللَّهُ, quam Polyglottorum Editores perperàm Latinè fecêrunt, hoc modo: "*Primum quod creavit Deus.*" Sed pace tantorum nominum dixerim, si ita se voluisset exprimere Arabs, his verbis eum usum fuisse prorsùs esset necessarium, sc. الاوّل ما خلقه الله, quod, cum is minimè fecerit, translatio eorum pro vitiosâ habenda est. Phrasis præterea Arabica ejusdem sanè generis est ac كَيْفَمَا, حَيْثُمَا, كَيْفَ مَا, حَيْثُ مَا, &c. sæpiùs conjunctim scripta, كَيْفَمَا, حَيْثُمَا, &c. et translatio vera erit: *Cùm primum creâsset Deus*: non, *Primum quod creavit Deus.*

III. Diversitas hæc interpretum indè mihi orta esse videtur, quod nullus sit articulus præpositivus voci רֵאשִׁית præmissus, et sub particulâ ב in vocali (-) latitans. Interpres igitur idiomati Arabico nimis insistens, Arabicam suam hoc modo formandam religioni sibi duxit. Atqui, si res ita se habuerit, necessè esset vocem רֵאשִׁית in statu, ut aiunt, constructo capere cum sequente ברא, quæ demùm punctanda esset בָּרָא non בָּרָא: quod nemo veterum fecit. Saadias itaque, ejusque sequax Interpres Erpenianus, Arabico nimis idiomati insistentes, Hebraïcum violabant, novamque interpretationem expiscati sunt, neque contextui, neque Grammaticæ Hebraïcæ ullo modo conformem.

IV. Ben Uziel, paulò liberior, ita pericopen hancce reddit, מִן אוֹתָהּ בָּרָא יְיָ. *A primo* (tempore sc.) *creaverat Deus.* Polyglottorum Editores habent. "*A principio creavit Dominus.*" Sed hoc mihi nullum videtur fundere sensum: et, quùm præteritum Hebræorum omnibus Latinorum præteritis, ut contextûs series postulet, respondebit; nulla fortassis ratio reddi

* Vide Hebrew Lectures, Cambridge, 1827, passim.

potest, cur perfectum præteritum hîc loci plusquam perfecto, ut aiunt, anteponeretur.

V. Targumista Hierosolymitanus παραφρασικῶς se penitùs expedit, ita ut commentarium potiùs quàm translationem exarâsse videatur: e. g. בְּחוּכְמָא בְּרָא יְיָ. "*In sapientiâ creavit Dominus*," spectato, proculdubio, capite 8vo. Proverbiorum, ubi hæc habentur (v. 22, &c.) יְהֹוָה קָנָנִי [קָנְתָה] רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ מִקַּדְמֵי מֵימָיו מֵעוֹלָם נִסַּכְתִּי: מֵרֹאשׁ מִקַּדְמֵי־אָרֶץ, &c. "*Dominus possedit me* (i. e. *Sapientiam*) *initio viarum suarum, antequàm quidquam fecerat, à principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquo antequàm terra fieret*," &c. Quid sibi voluerint Targumista et Proverbiorum auctor, hæc dicentes, difficile sanè esset definire. Haud tamen affirmare dubitarem R. Levi Ben Gershom à scopo longè aberrasse, הפלוסופיא Philosophiam sc. quâ urbes regnaque regantur, hoc respicere, asserentem. Veteres enim Hebræi, uti antea dictum, nihil de hâc aut cogitare aut scire potuerunt. Iis potiùs assentiar qui dicunt, Messiam hîc loci innui, Evangelistamque Johannem hùc respexisse cùm dixerit: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, κ. τ. λ. Traditio enim longè latéque diffusa, apud Orientales populos etiamnum hodie viget, quâ affirmatur العقل i. e. Intellectum, (nonnunquam vero τῆς حكمت, Sapientiæ nomine eum insigniunt) rerum omnium primò fuisse creatum. Neque hoc de attributo Dei quovis abstracto prædicunt; Mahumeti enim asseclæ præsertim Mystici, cujuscunque ii fuerint sectæ, hoc Magistro suo ubique adscribunt: eodem sanè modo quo Apostolus Sapientiam Dei Christum esse affirmat,* Targumistæque de suo מֵימְרָא† seu *verbo* loqui amant. Locum igitur exegeticum, minimè contemnendum dat Targumista Hierosolymitanus, cujus in Textu hodierno Masorethico vestigia nullo negotio deprehendantur, reliquiæque in Orientis plagis, hodie longè latéque vidimus repentes. Neque Bertholdo, Neotericisque Theologis ejus Germanicis, assentiri possum affirmantibus, hanc notionem à Philosophis Græcis, Platone, sc. aut nescio quo alio, originem duxisse, cùm, in Solomonis temporibus, Sapientiam Divinam, personæ vices gerentem, omnibus innotuisse certum est. Hoc esset, ni valdè hallucinamur, omnia conjecturis loco suo deturbare, sacraque profanis, respectu nullo ad rerum ordinem habito, immiscere. Sed omnia singulatim recensere nimis longum foret, Lectoribusque fortassis bilem movere. Comparationem, igitur, inter Textum Hebraïcum, Versionem Chaldïcam, atque Syriacam, jam nunc instituamus: et, ut harum convenientia vel etiam discrepantia, Lectoribus faciliùs deprehendatur, Syraicam literis Hebraïcis exaratam exhibemus: additis versione nudâ Latinâ, adnotationibusque criticis nonnullis.

## GEN. CAP. I.

| facta est terra Et | .terram | et | cœlos | | Deus creavit principio In | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 וְהָאָרֶץ הָיְתָה | : הָאָרֶץ | וְאֵת | הַשָּׁמַיִם | אֵת | אֱלֹהִים בָּרָא | 1 בְּרֵאשִׁית *Heb.* |
| 2 וְאַרְעָא הֲוָת | : אַרְעָא | וְיָת | שְׁמַיָּא | יָת | יְיָ בְּקַדְמִין בְּרָא | 1 *Chald.* |
| 2 וְאַרְעָא הֲוָת | : אַרְעָא | וְיָת | שְׁמַיָּא | יָת | בָּרָא אֱלָהָא בְּרֵישִׁית | 1 *Syr.* |

| incubans Dei Spiritus et abyssi facies super tenebræ et confusio et vacuitas | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת | וְרוּחַ | תְּהוֹם | עַל־פְּנֵי | וְחֹשֶׁךְ | וָבֹהוּ | תֹהוּ *Heb.* |
| וְרוּחָא מִן־קֳדָם־יְיָ מְנַשְׁבָא | וְרוּחָא | תְּהוֹמָא | עַל־אַפֵּי | וַחֲשׁוֹכָא | וְבוּהָא | צְיָתָא *Chald.* |
| וְרוּחָה דַאלָהָא מְרַחֶפֶת | וְרוּחָה | תְּהוֹמָא | עַל־אַפֵּי | וְחַשׁוֹכָא | וּבְהָה | תְּהֵא *Syr.* |

| vidit Et | .lux facta est et | : lux sit ,Deus dixit Et | .aquarum facies super | |
|---|---|---|---|---|
| 4 וַיַּרְא | : וַיְהִי־אוֹר | 3 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי אוֹר | עַל־פְּנֵי הַמָּיִם : | *Heb.* |
| 4 וַחֲזָא | : וַהֲוָה נְהוֹרָא | 3 וַאֲמַר יְיָ יְהֵי־נְהוֹרָא | עַל־אַפֵּי מַיָּא : | *Chald.* |
| 4 וַחֲזָא | : וַהֲוָא נְהוֹרָא | 3 וַאֲמַר אֱלָהָא קֳדָם נְהוֹרָא | עַל־אַפֵּי מַיָּא | *Syr.* |

| lucem illam | inter | Deus | divisit et | ,bona quia | lucem | Deus | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| הָאוֹר | בֵּין | אֱלֹהִים | וַיַּבְדֵּל | כִּי־טוֹב | אֶת־הָאוֹר | אֱלֹהִים | *Heb.* |
| נְהוֹרָא | בֵּין | יְיָ | וְאַפְרֵשׁ | אֲרֵי־טָב | יָת־נְהוֹרָא | יְיָ | *Chald.* |
| נְהוֹרָא | בֵּית | אֱלָהָא | וּפְרַשׁ | דְּשַׁפִּיר | לִנְהוֹרָא | אֱלָהָא | *Syr.* |

(nomen)

| caligini et | diem | luci illi | Deus | vocavit et | .caliginem illam inter et | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| וְלַחֹשֶׁךְ | יוֹם | לָאוֹר | אֱלֹהִים | 5 וַיִּקְרָא | וּבֵין הַחֹשֶׁךְ : | *Heb.* |
| וְלְחַשׁוֹכָא | יְמָמָא | לְנְהוֹרָא | יְיָ | 5 וּקְרָא | וּבֵין חֲשׁוֹכָא : | *Chald.* |
| וְלַחֲשׁוֹכָא | אִימָמָא | לִנְהוֹרָא | אֱלָהָא | 5 וְקָרָא | לְחֲשׁוֹכָא | *Syr.* |

| dixit Et | .unus | dies | facta aurora est et | facta vespera est et | : noctem | nomen vocavit | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 וַיֹּאמֶר | : אֶחָד | יוֹם | וַיְהִי־בֹקֶר | וַיְהִי־עֶרֶב | לָיְלָה | וַיִּקְרָא | *Heb.* |
| 6 וַאֲמַר | יוֹמָא חַד | | וַהֲוָת רְמַשׁ | וַהֲוָת צַפְרָא | לֵילְיָא | וּקְרָא | *Chald.* |
| 6 וַאֲמַר | חַד | יוֹמָא | וַהֲוָא רַמְשָׁא | וַהֲוָת צַפְרָא | לֵילְיָא | וְקָרָא | *Syr.* |

| inter | dividens | sit et | ,aquarum | medio in | expansio | sit | ,Deus | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| בֵּין | מַבְדִּיל | וִיהִי | הַמָּיִם | בְּתוֹךְ | רָקִיעַ | יְהִי | אֱלֹהִים | *Heb.* |
| בֵּין | מַפְרֵשׁ | וְיהֵי | בְּמֵצְיַעְתָּא | מַיָּא | וְרָקִיעָא | יְהֵי | יְיָ | *Chald.* |
| בֵּין | פְּרַשׁ | וְהֵוֵא | בְּמֶצְעָתָא | מַיָּא | וְרָקִיעָא | נְהֵוֵא | אֱלָהָא | *Syr.* |

| inter | divisit et | ,expansionem | Deus | fecit Et | .aquas ad | aquas | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| בֵּין | וַיַּבְדֵּל | אֶת־הָרָקִיעַ | אֱלֹהִים | 7 וַיַּעַשׂ | לָמָיִם : | מַיִם | *Heb.* |
| בֵּין | וְאַפְרֵשׁ | יָת־רְקִיעָא | יְיָ | 7 וְעֲבַד | לְמַיָּא : | מַיָּא | *Chald.* |
| בֵּין | וּפְרַשׁ | רְקִיעָא | אֱלָהָא | 7 וְעֲבַד | לְמַיָּא | מַיָּא | *Syr.* |

| super de quæ | aquas | inter et | expansionem ad | subter de | quæ | aquas | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| הַמַּיִם | אֲשֶׁר | מִתַּחַת | לָרָקִיעַ | וּבֵין הַמַּיִם | אֲשֶׁר | מֵעַל | *Heb.* |
| מַיָּא | דִּי | מִלְּרַע | לְרְקִיעָא | וּבֵין מַיָּא | דִּי | מִלְעֵל | *Chald.* |
| מַיָּא | דְּלַתְּחוֹת | | רְקִיעָא | וּבֵית מַיָּא | מִן | דְּלְעֵל | *Syr.* |

| .cœlos | expansioni | Deus | nomen vocavit Et | .ita fit Et | .expansionem ad | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| שָׁמָיִם | לָרָקִיעַ | אֱלֹהִים | 8 וַיִּקְרָא | וַיְהִי־כֵן : | לָרָקִיעַ | *Heb.* |
| שְׁמַיָּא | לְרְקִיעָא | יְיָ | 8 וּקְרָא | וַהֲוָת כֵּן : | לְרְקִיעָא | *Chald.* |
| שְׁמַיָּא | לְרְקִיעָא | אֱלָהָא | 8 וְקָרָא | וַהֲוָא כְּכְנָא : | לְרְקִיעָא | *Syr.* |

| congregentur | ,Deus | dixit Et | .secundus | dies | mane fit et | vespera fit Et | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| יִקָּווּ | אֱלֹהִים | 9 וַיֹּאמֶר | שֵׁנִי : | יוֹם | וַיְהִי־בֹקֶר | וַיְהִי־עֶרֶב | *Heb.* |
| יִתְכַּנְּשׁוּן | יְיָ | 9 וַאֲמַר | תִּנְיָן : | יוֹמָא | וַהֲוָת צַפְרָא | וַהֲוָת רַמְשָׁא | *Chald.* |
| נְתַכַּנְּשׁוּן | אֱלָהָא | 9 וְאֲמַר | דָּתְרִין : | יוֹמָא | וַהֲוָא צַפְרָא | וַהֲוָא רַמְשָׁא | *Syr.* |

| .arida illa | videatur et | unum | locum ad | cœlos illos | subter de | aquæ | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| הַיַּבָּשָׁה | וְתֵרָאֶה | אֶחָד | אֶל־מָקוֹם | הַשָּׁמָיִם | מִתַּחַת | הַמַּיִם | *Heb.* |
| יַבָּשְׁתָּא | וְתִתְחֲזֵי | חַד | לַאֲתָר | שְׁמַיָּא | מִתְּחוֹת | מַיָּא | *Chald.* |
| יַבִּישְׁתָּא | וְתִתְחֲזֵי | חַד | לַאֲתָר | כְּן שְׁמַיָּא | דִּלְתַחְתָּ | מַיָּא | *Syr.* |

| illarum aquarum | congregationi et | : terram aridæ illi | Deus | nomen vocavit Et | .ita fit Et | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| הַמַּיִם | וּלְמִקְוֵה | לַיַּבָּשָׁה | אֱלֹהִים | 10 וַיִּקְרָא | וַיְהִי־כֵן : | *Heb.* |
| מַיָּא | וּלְבֵית־כְּנִישְׁוָת | לְיַבָּשְׁתָּא | יְיָ | 10 וּקְרָא | וַהֲוָת כֵּן : | *Chald.* |
| רַבְיָא | לְכֻנְשָׁא | לִיבִישְׁתָּא | אֱלָהָא | 10 וְקָרָא | וַהֲוָא כְּכְנָא | *Syr.* |

nomen

| germinet | : Deus | dixit Et | .bonum quia | Deus | vidit Et | .maria | vocavit | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| תַּדְשֵׁא | אֱלֹהִים | 11 וַיֹּאמֶר | כִּי־טוֹב : | אֱלֹהִים | וַיַּרְא | יַמִּים | וַיִּקְרָא | *Heb.* |
| תַּדְשָׁא | יְיָ | 11 וַאֲמַר | אֲרֵי־טָב : | יְיָ | וַחֲזָא | יַמָּיָא | וְקָרָא | *Chald.* |
| תַּדְשָׁאת | לֵיהּ | 11 וַאֲמַר | דְּשַׁפִּיר | אֱלָהָא | וַחֲזָא | יַמְמֵי | וְקָרָא | *Syr.* |

---

* 1 Cor. cap. i. 24.

† Locus insignis hujusque vocis, apud Judæos vetustiores, usum optimè illustrans, reperitur in Targum Hierosolymitano in Exod. cap. xii. v. 42, 44. "Nox prior," inquit, nam Latina cum voce ipsâ מֵימְרָא tantummodo dabo, "quando apparuit sermo Domini (אִתְגְּלִי מֵימְרָא דַיְיָ) super mundo ad creandam ipsum....et sermo Domini (וּמֵימְרָא דַיְיָ הֲוָה מְהֵיר וּמְנַהֵר) lucebat et illustrabat, et vocavit ipsam noctem primam. Nox secunda quando apparuit sermo Domini Abrahamo (מֵימְרָא דְיְיָ עַל אַבְרָהָם) inter sectiones....Nox tertia quando apparuit sermo Domini contra Ægyptios (מֵימְרָא דַיְיָ עַל מִצְרָאֵי) in mediâ nocte....Nox quarta cum adimplebitur finis mundi ut dissolvatur, funes impietatis vastabuntur, et juga ferrea rumpentur." Hæc ultima, quin ad ætatem Messiæ referrent, non est quod dubitaret quisquam. Et si it se res habeat Targumista iisdem sanè locutionibus ac Evangelista utens, iisdem de rebus, eodemque de Personâ, omninò egit. Doctissimus Buxtorfius sub voce אמר hæc habet: "Sic paraphrastes sæpissimè hoc nomen divinum efferre solet per מֵימְרָא דַיְיָ, ut Johannes Evangelista dicit, ὁ λόγος." Lex. Chald. &c. col. 125.

| facientem | fructûs | arborem | ,semen | seminantem herbam germen terra | |
|---|---|---|---|---|---|
| עֹשֶׂה | פְּרִי | עֵץ | זֶרַע | מַזְרִיעַ עֵשֶׂב | הָאָרֶץ | *Heb.* |
| עָבֵד | פֵּרִין | אִילָן | זַרְעֵהּ | דְּמַזְרַע עִסְבָּא | אַרְעָא | *Chald.* |
| דְּעָבַד | דְּמַאנָא | וְאִילָנָא | וְזַרְעָא דְּנִבְשֵׂהּ · | עִסְבָּא · | אַרְעָא | *Syr.* |

.ita fit Et .terram super eâ in ejus semen quæ ,suæ speciei fructum

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| פְּרִי | לְמִינוֹ | אֲשֶׁר | זַרְעוֹ־בוֹ | עַל־הָאָרֶץ | וַיְהִי־כֵן : | *Heb.* |
| פֵּרִין | לְזִנֵיהּ | דִּי | בַּר־זַרְעֵיהּ־בֵּיהּ | עַל־אַרְעָא | וַהֲוָה־כֵן : | *Chald.* |
| פֵּרָא | לְגִנְשֵׂהּ · | דְּנִבְשֵׂהּ | בֵּהּ | עַל אַרְעָא · | וַהֲוָא כְּכְנָא · | *Syr.* |

| ,suæ speciei | semen | seminantem herbam | ,germen terra | protulit Et | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| לְמִינֵהוּ | זַרְעוֹ | מַזְרִיעַ עֵשֶׂב | הָאָרֶץ | וַתּוֹצֵא 12 | | *Heb.* |
| לְזִנוֹהִי | כִּמְזַרְעֵיהּ | דְּמַזְרַע עִסְבָּא | אַרְעָא | וְאַפֵּקַת 12 | | *Chald.* |
| לְגִנְשֵׂהּ · | דְּמַזְרַע | עִסְבָּא · | חַרְאָא | וְאַפֵּקַת 12 | | *Syr.* |

.suæ speciei (est) eâ in ejus semen quæ ,fructum facientem arborem et

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| לְמִינֵהוּ | זַרְעוֹ־בוֹ | אֲשֶׁר | עֹשֶׂה־פְּרִי | וְעֵץ | *Heb.* |
| לְזִנוֹהִי | בֵּיהּ | דְּבַר־זַרְעֵיהּ | עָבֵד־פֵּרִין | וְאִילָן | *Chald.* |
| לְגִנְשֵׂהּ · | בֵּהּ | דְּנִבְעָתֵהּ | דְּעָבַד פֵּרָא | וְאִילָנָא | *Syr.* |

.bonum quia Deus vidit Et

| | | | |
|---|---|---|---|
| כִּי־טוֹב : | אֱלֹהִים | וַיַּרְא | *Heb.* |
| אֲרֵי־טָב | יְיָ | וַחֲזָא | *Chald.* |
| דְּשַׁפִּיר | אֱלָהָא | וַחֲזָא | *Syr.* |

VI. Plura describere supervacaneum erit. De his dicendum, generaliter: Vix quemquam posse existimem, quin primo statim intuitu perspiciat, hæc omnia ad amussim alterutris mutuò exactéque respondere, eâtenus ut indè, quicunque in earum utrâvis linguâ exercitatus fuerit, alteram brevi tempore ad unguem ferè ediscere possit. Et, quùm verbum de verbo, phrasisque de phrasi, è textu archetypo omnia, quoad ejus fieri potuit, reddita sunt, eodemque quoque ordine exarantur; Vocabularium, vel etiam Grammaticen, utriusvis earum, quemquam facillimè colligere posse, phrases deindè idiomaticas adnotare, sensumque de sensu ellicere, posterisque servare, perspicuum erit.

VII. De Chaldaïcâ Onkelosi Versione, quædam primò specialiùs dicenda sunt. Si, igitur, ea, uti anteà observatum est, eo consilio primitùs, (sicut et cæteræ Versiones Chaldaïcæ,) facta est, ut sc. Linguæ Sanctæ textuique Biblico, in Scholis addiscendis, meliùs consuleretur; ratio sat probabilis se nobis ingeret, quare hujusmodi transferendi modulum sibimet proposuerint Rabbini: ut, scilicet, Textus Sacer omni ex parte tegeretur, munireturque; ac Lingua iis Patribusque ipsorum sancta, Posteris, quatenùs id fieri potuerit, conservaretur. De vocum Chaldaïcarum et Hebraïcarum viribus, non erit hìc loci disserere: eæ namque omnibus, comparatione factâ, satis, ni fallor, superque innotescent: pauca de utriusque Grammaticâ, ex locis suprà citatis adnotare juvabit.

VIII. Ex. cap. i. v. 1. patebit, iis sc. locis, quibus Hebræi articulum demonstrativum, vel potiùs, definientem, sub formâ ה proponunt, iisdem, ubi idioma Chaldæorum id postulet, ii in א mutatum, vocabulorum fini adjungunt: quod, si Grammatici, nostri vidissent, articulum hunc nomine τῆς א *emphaticæ* non insignivissent; tyronesque, qui hujusmodi *emphases* invenire nunquam potuerunt, perplexos reddidissent. Nullam fortassis emphasin quivis, in vocibus הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ, primâ hâcce pericope, invenire poterit: idem sanè de שְׁמַיָּא וְאַרְעָא, ei è regione respondente, dicendum, Syriacisque omnibus hanc formam induentibus. Voces תֹּהוּ וָבֹהוּ v. 2. in Hebraïcis sunt abstractæ, in Chaldaïcis vero, concretæ. Sed Grammatices Hebraïcæ regulæ infringuntur nullæ: quod cuivis Tyroni satis erit perspectum. Ibidem, in תְּהוֹמָא et חֲשׁוֹכָא formas habemus *definitas*, minimè in Hebraïco prostantes: sed hæc linguæ proprietati dentur; cùm mos apud recentiores prævaluit, articulum abstractis præponere, ut in Arabicis العقل, الظلمة, &c. antiquioribus haud ita ratus fixusque. Simile quid advertendum in phrasi, satis equidem vexatâ, רוּחַ אֱלֹהִים, *Spiritus Dei*, quam hoc modo reddidit Chaldaicè Chaldaïcus; רוּחָא מִן־קֳדָם יְיָ, *Spiritus*, sive *Ventus, ille, à conspectu Domini*. Et ita Arabes, pari fortassis ratione freti, ومن جانب الله, et eorum sequaces Persæ ومن جانب خدا vel از جانب خداوند, *a latere sive parte* Domini; non ومن الله, sive, از خدا, à Deo, hoc enim indecorum Deoque indignum censeretur. Præpositiones præterea duplicatas, ii meliùs intelligebant, quam nonnulli è Grammaticis nostris Doctissimis: e. g. in phrasi מֵעַל לְקִרְצָא, Chaldaïcè redditur מֵעַל לְקִרְצָא, iisdem voculis retentis; quæ sonabunt, *de super*, (quo) *ad expansionem*, i. e. supernæ, respectu *ad* expansionem habito: non, ut aliqui volunt, vocula sc. prima secundam deglutiens, phrasin עַל קִרְצָא æquipollentem constituet. Conjugationum formæ eodem sanè modo semet comparandas dijudicandasque proponunt, e. g. ib. v. 8. קֳבֵל, Heb. Chaldaïcæ יְהַבְּשָׁתָן è regione opposita est: undè inferri potest, particula בְּ sive הַ verbo Hebraïco præposita, idem ac Chaldaïca, sive etiam Hebraïca אָת, et הַ, significare: et fortè cum Arabica ت, ان, aut اـت in septimâ, quintâ, et octavâ, eorum conjugatione, quoad vires, conspirare: et hæc, τῷ *fieri*, *factum esse*, &c., secundum Arabum Grammaticos, quadrare scimus. Sensus igitur non est omninò passivus, ut et formæ istæ apud nostros plerumque accipiuntur, sed potiùs *impressionem accidentalem* denotat, sive mutationem è statu in statum, ut videre est in Prælectionibus meis Hebraïcis. Vox מִקְוֶה v. 10. à Chaldæo redditur per גֵּית גְּנִישׁוּתָא, undè videre est מ præpositum, nomina, quicquid vox nuda significet, id complectentia, denotare: quæ regula est sat certa in Dialectis hujusce stirpis omnibus. In v. 3. Heb. וַיֹּאמֶר *et dicit*, historicè scilicet sumpta, uti dicunt, Chaldaïcè redditur וְאָמַר *et dixit*: sensum, quàm formam grammaticalem, magis respiciens. Hi, enim, Hebræis tardiores, Legentem sive Audientem quemcumque, non in tempora Scribentis sive Dicentis, collocant. Ut igitur sensui potiùs quàm arti grammaticali consulant, hujusmodi loca, in omnibus ferè ita traducunt: grammaticen Lectorum industriæ perquirendam linquentes.

IX. In v 11, 12. phrasis Heb. מַזְרִיעַ זָרַע, per דְּמַזְרַע זַרְעֵיהּ, i. e. *secundùm semen ipsius seminans*, sive *semen ferens*, redditur; et, ni fortè glossema insit, in textu Hebraïco quondam fuisse lectum מַזְרִיעַ זַרְעוֹ arbitrarer, i. e. *seminans semen ipsius*: Syrus præterea habet, דְּמַזְרַע זַרְעָא לְגִנְשֵׂהּ, *seminans semen secundum genus ipsius*: qui, nisi is hortulos suos aquis Chaldaïcis irrigasset, quod valdè suspicandum, ita et in Hebraïco legere potuisset. Sed nihil definio.

X. De Syro quid statuendum, paucis expediam; hìc loci enim, non est animus omnia tractare. Versio, ut mihi videtur, est quantivis pretii: Archetypum Hebraïcum ferè in omnibus κατὰ ποδὰ sequitur, uti suprà videri potest, nullis tamen fabellis glossisve Judaïcis inquinata. Onkelosi Targum Chaldaïcum in Legem, pressè sequitur; et, cùm Hebraïca verbum de verbo reddit, stylum purè Syriacum ubique sistit. A quo, quâve demum scholâ, origines duxerit nemo definiverit: at mihi vero valdè simile videtur, eam primo à Targumim, aut Onkelosi, aut cujusvis alius, si forte ejusmodi in universa Biblia exstabat versio, radices egisse suas: atque indè à Doctoribus Antiochenis, eâ namque dialecto gaudet, ante tempora Ephremi Syri ad umbilicum fuisse perductam. Suis tamen nævis scatet, quorum nonnulli Interpretibus, ut in omnibus solenne, referendi sunt; pars verò longè maxima Librariis, aut dormitantibus, aut parum fidis, debentur. In locis enim quibusdam, vix Syriacè verba facit: in aliis corruptiones τῶν ὸ, manifestissimè sapit. Prioris generis ܒܗܬ ܝܗܘܬ Gen. i. 6. uti in Polyglottis exaratum, exemplum esto: malæ Editorum vocalium applicationes à Michaele, cæterisque, jamdudum observatæ sunt. Posterioris, messem sat amplam undique corrasam exhibuerunt Carpzovius et Simonius. Edi-

tionem meam, quæ Anno 1823 lucem vidit, ut ab his quàm expurgatissima prodiret, quatenùs Codices manuscripti, id sinebant, operam sedulus navavi. Atqui nulla, uti mihi videtur, hodie restant media, quibus hæc versio ad pristinum suum statum reduci queat. In multis equidem emendari potest; et, ni valdè fallor, si id otii Viro docto, et in his satis exercitato, concederetur, eam, versione τῶν ὸ virali, longè emendatiorem posse induere formam; maximasque scientiæ Biblicæ conciliare vires. Magnopere igitur optandum, ut Aliquis tandem aliquando hujusmodi opus in se suscipiat, atque ad finem perducat.

XI. Aliæ sunt præterea Versiones Judaïcæ, sive, ut vocari solent, Targumim, quæ magno sanè adjumento esse possunt Theologis, cæterisque qui penitiora sacrarum literarum rimari cupiunt. Harum optima Jonathanis Ben Uzielis nomen præ se fert: et quamvis hæc, multo liberiore cursu quàm Onkelosi illa gaudet, et persæpè commentarii formam sumit, rarò tamen à sacri textus scopo, exceptis paucis quæ homini Judæo facile condonentur, Librariisve malefidis tribuantur, divagatur.

XII. Huic aliam versionem, seu Targum adjungunt, quam Hierosolymitanam appellant. Hæc cæteris multò est liberior, atque adeò sæpissimè in fabellis Judaïcis recitandis, commentariisque consuendis, indulget. In multis, tamen, Interpretem bonum satisque antiquum redolet; à quo Judæi recentiores erroris in multis coargui, pervicaciæque inveteratæ evinci, possunt. Sunt præterea fragmenta quædam hinc indè sparsa, Versionis sive Targum alius, quæ *Targum alia* vulgò nuncupatur (תרגום אחר). Hujus fragmenta in Tomo iv. Polyglottorum Londinensium inveniuntur, è regione Targum Hierosolymitanæ posita. Illarum specimina nonnulla, in locis quibusdam selectis, dare pergimus.

XIII. Insignis est locus Gen. xlix. 10. quem à scopo suo vero torquere multùm sudârunt Judæi recentiores. Textus Hebraïcus ita se habet. לֹא יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים: et ita Chaldaïcè redditur in Targum ר״ש Ben Uzielis ascriptâ. לָא פְסֻקִין מַלְכִין וְשַׁלִּיטִין מִדְּבֵית יְהוּדָה וְסָפְרִין מְאַלְּפֵי אוֹרַיְתָא מִבְּנֵי בְנוֹהִי עַד זְמַן דִּי יֵיתֵי מְלְכָּא מְשִׁיחָא וְעִדֵּי בְנֵי גְבֵי וּבְרֵילֵיהּ יִתְמַסְּכוּן עַמְמַיָּא: "Non cessabunt reges et præsides ex domo Judæ, et scribæ docentes legem ex semine ejus, usque ad tempus quo veniet rex Messias minor filiorum ejus, et propter eum colliquescent populi." Ad phrasin מְנִין רַגְלָיו, nonnulli putârunt auctorem ad morem discipulorum, qui ad pedes magistrorum assidere consueverunt, respexisse. Aliter sentio, et calculum meum qualemcunque Targumistæ lubens adjicio, reddenti, מְתַרְגְּמָה. Videatur phrasis in Deut. xxviii. 57. Si præterea regnum spirituale, utpote promissione Abrahamo ratum sancitumque, quo sensu Israelitæ veri, Reges et Sacerdotes Dei esse testatus est Apocalypseos Auctor, Cap. i. v. 6. hîc loci innuatur; nulla omninò difficultas in ejus applicatione apparebit. Neque David apud Judæos, post captivitatem alio quovis sensu regnare potuit: et tamen eum regnaturum Prophetæ uno ore prædicebant. Targumista, ad hæc, Messiam filiorum Judah *minorem* facit, respectu fortassis ad Is. liii. 2, 3. habito. Omnia igitur, hoc sensu liquidò constabunt; et Targumista veterem veramque SS. interpretationem vindicabit.

XIV. Targumista Hierosolymitanus, ad hanc pericopen, clariùs fortassis in regnum spirituale Messiæ testimonium perhibet. לָא פְסֻקִין מַלְכִין מִדְּבֵית יְהוּדָה אַף לָא סַפְרִין מִלְּפֵי אוֹרַיְתָא מִבְּנֵי בְנוֹי עַד זְמַן דְּיֵיתֵי מְלְכָּא מְשִׁיחָא דִּדְיִדְהוֹן הוּא מַלְכוּתָא וְלוֹהִי שַׁלִּיטִין דְּיִשְׁתַּעְבְּדוּן כָּל מַלְכְוָתָא דְאַרְעָא: מָה דְּאֵי הוּא מַלְכָּא מְשִׁיחָא בַּשְׁתִּיד לְמִקְם מִדְּבֵית יְהוּדָה: "Non deficient reges de domo Judæ, neque periti doctores legis de filiis filiorum ejus, usque ad tempus quo veniet rex Messias, cujus est regnum, et ei subjicientur tandem omnia regna terræ. Quàm pulcher est rex Messias qui surrecturus est è domo Judæ!"&c. Eundem omninò sensum fundit Onkelosus, hoc modo pericopen interpretans: לָא־יַעְדֵּי עָבֵד שׁוֹלְטָן מִבֵּית יְהוּדָה וְסָכְלָא מִבְּנֵי־בְנוֹהִי עַד־דְּיֵיתֵי מְשִׁיחָא דִּילֵיהּ הִיא מַלְכוּתָא וְלֵיהּ יִשְׁתַּמְּעוּן כָּל מַלְכְוָתָא: "Non transibit qui habet principatum à domo Judæ; neque Scriba à filiis filiorum ejus, usque in sæculum, donec veniat Messias, cujus est regnum; et ei obedient populi." Plura adducere hîc loci, non est propositi nostri; finem igitur huic quæstioni imposituri, verbis celeberrimi Buxtorfii utemur. "Hic" Messias sc. "multoties sub vetere lege fuit promissus, quandoque apertiùs, quandoque obscuriùs, quod Paraphrastes Chaldæus prudentissimè animadvertit, et ubi Messiæ promissionem subesse cognovit, ibi expressè nomen מְשִׁיחָא Messias posuit, quod diligenter est notandum et observandum, propter obcæcatos Judæos, qui multa loca ex illis de Messiâ dici negant. Gloriatur Elias in suo Meturgeman, se omnia ista loca, in quibus Messiæ vocabulum in Targum reperitur, in unum locum collegisse, et in Lexico suo annotasse. Ea et nos hîc adducemus, et longè plura quam Elias." Loca, quæ maximi sanè momenti sunt Theologo, sunt hæc sequentia. Gen. iii. 15; xxxv. 21; xlix. 1, 10, 11 ut supra. 12; Exod. xii. 42; xl. 9, 11; Num. xi. 26; xxiii. 21; xxiv. 7, 17, 20, 24; Deut. xxv. 19; xxx. 40; 1 Sam. ii. 10; 2 Sam. xxiii. 3; 1 Reg. iv. 33; Jes. iv. 2; ix. 6; x. 27; xi. 1, 6; xv. 2; xvi. 1, 5; xxviii. 5; xlii. 1; xliii. 10; xlv. 1; lii. 13; liii. 10; Jerem. xxiii. 5; xxx. 21; xxxiii. 13, 15; Hos. iii. 5; xiv. 8; Mich. iv. 8; v. 2, 18; Zach. iii. 8; iv. 7; vi. 12; x. 4; Ps. ii. 2; xviii. 32; xx. 7; xxi. 2, 8; xlv. 3, 8; lxi. 7, 9; lxii. 1; lxxx. 18; lxxxiv. 10; Cantic. i. 8; iv. 5; vii. 3, 14; viii. 1, 2, 4; Ruth i. 1; iii. 15; Thren. ii. 22; iv. 22; Eccles. i. 11; vii. 25.

XV. Hæc de usu exegetico τῶν Targumim dicta sunto, qui, ut mihi quidem videtur, Masoræ Judaïcæ sive doctrinæ traditionalis grammaticæ, longè utilissimam constituit partem. Nam, si et in multis, eæ ex orbe gyrare deprehendantur, judaïcisque sapere nonnunquam fabellis, uti anteà observatum; sensum tamen, in plerisque, grammaticalem et verum è textu eruerunt, cui Hermeneuticam suam, persæpè veram, superstruxerunt prudentes.—Versionem Syriacam huc retulimus, eò quod illa, aut à Targumim originem suam duxisse, aut ab erudito quodam Judæo, qui nomen Christo dederat, prima sua lineamenta accepisse; aut demùm, auctor ejus, quicunque is tandem fuerit, Linguam sanctam ab Hebræis sui temporis omninò didicisse, videatur.

XVI. Sed et hinc conclusiones alias, scopumque nostrum propiùs attingentes, deducendas esse contendimus: Judæorum sc. Doctores præsertim antiquiores, Linguæ Sanctæ ejusque Grammatices interioris, fuisse callentissimos; Textumque eos Sacrum, quoad maxima, omninò eundem ac hodiernum, usurpâsse. De primâ quæstione nemo prudens fortassè hærebit dubius: quæ in secundam protulit Capellus, quæque omnia, aut puncta vocalia, aut literarum quasdam mutationes, respiciunt, in Criticâ suâ sacrâ, cum adnotationibus Scharfenbergii, videantur.* (Tom. ii. lib. v. cap. ii.). In summam, igitur, Lingua sancta, quamvis antè C. N. tempora, in desuetudinem apud Plebem abiisset, perlegi tamen in scholis, aut etiam apud Honestiores excoli, non cessasset. Ea, uti veri simillimum videtur, atque ex Targumim demonstratum dedimus, in deliciis apud Judæorum Doctiores semper habita est: et cùm omnis ejus usus circa Textûs sacri interpretationem versata esset, tot tantaque hujus rei monumenta ad tempora nostra usque pervenêrunt; nulla dubitationis alea restare potest, quin de hujus quoque conservatione, semet maximè sedulos fidelesque præbuerint Judæi. Et quùm nulla ex adverso demonstratio ab his versionibus seu Targumim exstrui possit, concludendum dixerim: Textum sacrum, prout eum in codicibus hodiernis habemus, cum antiquissimis, exceptis punctis literulisve perpaucis, in omnibus convenisse. Idem sanè demonstrabit collatio Versionis Latinæ Hieronymi cum Textu Hebraïco Masorethico: quamvis enim discrepantiæ nonnullæ, eæque in locis quibusdam sat magnæ, se prodant; in summam tamen amicis-

* Conferatur Anticritica Buxtorfii, Pars. II. cap. x.

simè concordant, eousque, ut Latina verbum de verbo, Textui Hebraïco se sequacem, etiam num præbeat. Quæ in alteram partem Capellus adduxit, in suâ Criticâ,* collatâ Buxtorfii anticriticâ, magno cum fructu Discentibus, legi possunt.†

## SECTIO XIII.

*De Textûs Hebraïci fatis ab Anno C. N. 500, ad hunc usque diem.*

I. Patres Ecclesiæ Christianæ generatim, Criticam in Textum Bibliorum Hebraïcorum falcem immisisse nemo adhucdum affirmavit, neque posteà affirmabit: ii enim, quantumvis emeriti, et à posteris æternas consecuturi laudes, eam Linguæ Sanctæ peritiam nec habebant, nec habere gloriabantur, ut opus tàm arduum periculosumque in se susciperent. Fuerunt tamen eorum nonnulli, haud vulgaris eruditionis viri, qui in hâc palæstrâ multùm sudabant, documentaque sat bona, omnique laude cumulatissima, criseos ipsorum sacræ, reliquêrunt. Horum Origines, ob immortales in Hexaplaria sua Biblia labores exantlatos, primum sibi vindicat locum. Post eum Hieronymus Stridonensis Presbyter,‡ cujus Epistolarum, Commentariorum, atque Bibliorum Latinorum versiones, nunquàm exolescent aut usus aut merita. Alia sunt nomina laude perquàm digna, perspectis impedimentis tunc temporis exsuperandis; horum Apollinaris, Hesychius, Lucianus, qui in LXX. viralem versionem multùm laboràrunt, honoris ergò nominarentur. At, quùm horum haud multa ad manus nostras pervenerunt, non est quod in iis laudandis nimii simus. Inter Judæos, Scholæ plures celeberrimæ ab hoc tempore, in annum C. N. 1000, et quod excurrit, in Palæstinâ, presertim verò in Babyloniâ, floruêrunt: atque in his Rabbini nonnulli clarissimi, ingenii sui specimina sat splendida edidêrunt. At hæc, ut plurimum, non penitiora sacri Textûs effata, neque statum ejus criticum, spectabant: scitis traditionariis, ritibusque Talmudicis, ii semet propemodum omnes dedebant. Sæculo tamen decimo post C. N. studia Biblica paullatim revixêrunt; Rabbinique quidam celebres, inter quos Primipilus est Saadias cui cognomen Haggaon qui Biblia universa, ut fama quidem fert, in Linguam Arabicam vertit, et Grammaticen Hebraïcam primus construxit, opera sua in lucem emiserunt.§

II. Cujusmodi hæc fuerit Grammatice Hebraïca, quibus principiis structa, aut quâ demùm eruditione ornata, eo quod ad tempora nostra usque non permanserit, nemo dicere potest. Versionum Arabicarum ejus nonnullæ lucem vidêrunt; et, si ex his sententiam de opere illo grammatico ferre liceat, nemo est fortassis, qui jacturam ejus non magnopere doleat. Postea, iis, quæ insecuta sunt, sæculis ad quatuordecimum usque, multi, magnique sanè nominis inter Judæos exorti sunt, tùm Grammatici, tùm Sacri Textûs Commentatores; quorum omnium judicio doctrinâque, clarissimus fuit David Kimchi Hispanus. Inter hos, plurimi Masoræ se prorsùs dedêrunt: fabulas ferè omnes Judaïcas præterea mordicus tenentes; nomini Christiano hostes infensissimi evasêre, atque adeò à Targumistis longissimo intervallo disjuncti sunt. Tortuosi hujusmodi verò conatus, suam ferè semper medelam suppeditant: atque indè fortassè, Aben Ezra dubitationes suas incudere cœpit: quæ haud multò post tùm Judæos tùm Christianos, et valdè vexârunt, et erudiêrunt. Inter illos enim, Elias Levita, vir doctus et audax, punctorum vocalium, necnon accentuum auctoritatem, elevare incœpit: inter hos Ludovicus Capellus Professor Hebraïcus Salmuriensis, non modo vestigiis Eliæ in omnibus institit, verùm et integritatem Codicis Hebræi audaciùs exagitavit; varietatesque nonnullas, jam à longo tempore exstitisse, ex versionibus antiquis, variisque ipsius Textûs editionibus, perdoctè eleganterque demonstrare perrexit. Hæc verò crisis Doctoribus, tum Judæorum, tum nostrorum, valdè periculosa demùm visa est; et, ut omne incompertum pro infido plerumque haberi solet, ita de hâc quæstione inter doctos actum est. Capellum ubique ferè proscripsêrunt: et, si qui fortè ejus partes tueri ausi sunt, ii statim pro hostibus veritatis habebantur. Nonnulli tamen, iique magni nominis viri, ejus à partibus stare audebant; inter quos Waltonum nostrum, nominare licebit, qui et crisi ejus lubenter nomen dedit, laboresque apertè collaudare minimè verebatur.

III. Atqui nimis hypothesin suam ursit Capellus: quod, omnes ni fallor, qui Anticriticam Buxtorfii junioris legerint, ultrò fatentur. Hoc tamen, quod et sanè permagnum est, omnes testantur, Eum sc. Crisi liberaliori meliorique usum fuisse; et, si nonnulli ejus sæculi viri docti timidiores, quam par erat, evasêrunt; hoc inscitiæ ipsorum potiùs attribui debere, quàm conatui ejus verè arduo atque salutari. Hi verò timores, magis ex statu Ecclesiæ tum temporis, quàm periculo ullo literario ortum ducebant. Pontificii enim, suâ ex parte Textum Sacrum pro virili pessundare studentes, nihil stabile firmumve esse clamitabant, nisi quod priùs Ecclesiæ Romanæ nomen dederat: Hinc nervos omnes suos intendere Romanenses pergebant, ut Textûs utriusque Testamenti archetypi, præsertim Hebraïci, auctoritatem sublevarent; affirmantes, neminem Grammaticen verè Hebraïcam adhucdum composuisse: nullum, in Linguam Sanctam pedem, nedum fidem, figere posse: omnia denique, nisi quæ à Vulgatâ suâ, auctoritate præterea Ecclesiasticâ Papali sancita essent, esse in dubio, incomposita, vaga. Capelli Criticam, quasi hunc scopum egregiè ferientem, laudibus ad cœlum usque evexêrunt: atque eousque, bellum hocce verè fatuum utrimque urgebatur, ut Filius superstes Capelli, spe omni apud Protestantes amissâ, in castra Romanensium se recepit.

IV. Ad hunc scopum ferè omnia Simonii, optima cæteroquin, critica collineabant: nisi fortè infidelitatis purum putum magis suboleant, quod ego valdè suspicor. At quam vani fuerint hujusmodi conatus, alii, iique liberaliores, ejusdem Ecclesiæ Doctores, operibus demùm suis apertè profitebantur, cujus rei exempla splendidissima sunt, Polyglotta Complutensia, Antuerpiæ, Parisiorum. Neque Protestantes sapientiores bello hocce gerendo, semet ostenderunt. Lis enim non de voculis, apicibusve utique fuit, sed de rebus, eodem sanè redeuntibus, sive eæ in Vulgatâ Latinâ, sive in Hebraïco Textu, sive in *τῶν ὸ* virali versione legerenter. Neque res se aliò vertet, annè puncta vocalia, accentusque Rabbinorum recipias, rejiciasve. Neque lectionis varietates quicquam, quoad hanc quæstionem, in dubio collocabunt: omnia enim immota fixaque in aprico posita manebunt, utramvis viam calcabis. Unumquemque, sc. pro semetipso oracula Sacra lectitare debere, quippe qui Deo immortali de operibus suis rationem olim sit rediturus: —Hic inquam scopulus ille offensionis erat, semperque restabit. Posteà verò Capelli crisis, etiam apud Romanenses, neglecta jacebat. Quamvis enim, Critica ejus ipsis usui fore aliquamdiu crediderint, non tamen in omnibus ei calculum dare potuerunt. Simonius eum in multis improbabat; in aliis laudabat: et, quùm Protestantes his de rebus doctiores esse incœpêrunt, tela distorta Capellana, vim suam omnem omninò amisêrunt.

---

* Tom. II. Lib. v. cap. viii. ed. Scharfenbergii.

† Qui de origine et fatis Masoræ plura desiderant, adeant Bibliothecam Heb. clariss. Wolfii, Vol. II. p. 460. & IV. 205, auctoresque ibi laudatos.

‡ Valde sunt exilia quæ ex alterâ parte protulit Doctiss. Lœscherus post Clericum. De caussis Ling. Heb. pp. 96, 97, Sanctum sc. Patrem מכנישי *Michnese* pro מכנסים uno loco dixisse: in alio *Eser eheje*, pro *Ascher eheje*: sui sanè oblitus; Latini etenim, *sh* aut *sch* nunquam sono Hebraïci ש efferunt. Graviùs deinde eum increpat quòd vox רוחא, *ruha* protulerit, inscius, ut is putat, officii *rs* Pathach furtivi: acsi Hieronymus Thesaurum Grammaticum Buxtorfii consuluisset! Vox altera נוגי sc. per *nugas* reddita, crisin audaciorem olet, non inscitiam critici: multi enim hujusmodi lusus apud doctissimos inveniantur.

§ Videatur Bibliotheca Hebræa Clariss. Wolfii, Vol. i. p. 337; ii. p. 595; iv. p. 270.

V. Tandem verò Pater oratorii Houbigantius Parisiensis, caput suum de obscuro efferre cœpit. Et cùm is fuit Vir ingenii peracris, doctrinâque haud mediocri instructus, Judæos inscitiæ, atque corruptionis sacro textui, datâ operâ, illatæ, ceu reos vehementer incusavit: et haud multò post, Editionem Bibliorum sanctorum, cum apparatu Critico, et Textûs translatione Latinâ de novo factâ, in lucem emisit.

VI. Una tamen supellex critica, eaque maximi momenti defuit Houbigantio: is namque Linguam Hebraïcam penitiùs minimè calluit: quod, proh dolor! audacitate criticâ conjecturali supplere perrexit. Hinc, Codicem Samariticum, utpote lectiones quasdam faciliores suppeditantem, laudare instituit; falcem criticam hinc indè Textui Sacro immittere; vetera destruere; nova cudere; atque omnia propemodum sus deque habere, ut satis crisi suæ vitiosæ in omnibus faceret, sategit. At nimis longum foret, omnia hîc recensere. Lectores plura desiderantes Prolegomena ejus adeant, ibique in aquis ejus turbidis, quamdiu visum fuerit, pisces captare tentent.

VII. Crisis verò Houbigantii, uti speciosissimis quibusque fronte perfrictâ laudatis est solenne, longè latéque statim prorepsit, atque multis in locis radices altissimas egit; in iis præsertim, ubi Lingua Hebraïca maximè elanguerat. Hæc tamen erubescens dico: vires enim suas verè morbidas apud nostrates ita exercuit, ut viros nonnullos, doctrinâ elegantiore, et cæteroquin clarissimos, in sua castra proripuit. Hinc schola illa, superiori sæculo satis famosa inclaruit, conjecturalesque Lowthii, Blayneii, Newcomii, Durelli, et Kennicotti, crises, quæ pænè pro miraculosis tunc temporis habitæ sunt, in lucem protulit. Sed, sua cuique bona. Opinio indè enim vires indies accepit adauxitque eundo, eâtenus, ut omnes ferè secum rapuit; collationem sc. Manuscriptorum Codicum Hebraïcorum, undique, si id quidem fieri potuit, corrasorum, institui debere; atque, ut Religio ipsa incolumis servaretur, omninò esse necessarium. Exindè vir, omni laude major atque verè adamanteus Kennicottus, collationem suam Bibliorum Hebraïcorum, omnibus sat notam, instituit, incœpitque; atque post annorum viginti curriculum, opus istud verè Herculeum ad finem feliciter perduxit.* Qui singula inspicere cupiunt, Biblia ejus adeant; et, ni fallor, segetem sat amplam vocum, rerum verò exilem, reperientur. Rem, sanè maximam omniumque laude dignissimam, hancce extra cancellos in æternum posuit vir egregius; Nullas sc. in textu Hebraïco lectionis varietates majoris momenti, esse inveniendas. Lapsus equidem Librariorum nonnulli satis omnibus sunt obvii: antiquitate verò Codicis Sacri perspectâ, ii pauciores exilioresque sunt, quam ut cujusvis bilem movere debeant: næ, ut admirationi potiùs esse ducantur. At quùm is nimis injuriosus esset in Judæos, atque adeò in Textûs Hebraïci statum hodiernum, Tyrones submonere haud abs re foret, ne dissertationem ejus generalem, sicciore pede pertranseant, omniaque ejus asserta pro ratis compertisque sumant. Multa enim verò in eâ, ut iis ferè semper accidit, qui τῇ ὑποθέσει nimium δωλεύσει, quæ nec demonstravit, neque demonstrare potuit, audax asseruit: in multis, ut in uno et altero jam probatum dedimus, hallucinatus est; atque idcircò omnia propèmodum ejus ad trutinam criticam revocari debeunt.

VIII. Sub idem ferè tempus Professor celeberrimus Parmensis Bernardus De Rossius, suam quoque suorum Codicum Hebraïcorum collationem instituit; atque eâ felicitate usus est, ut, ex proprio penu viribusque solitariis, Codices paucorum annorum cursu 617, Editiones verò impressas 310, omni, quâ adhiberi potuit, accuratione, contulit. Hujus operis immensi ac penè incredibilis, Exemplaria impressa cum apparatu critico sanè optimo, Annis 1784—8. in lucem emisit; et quanquam is, Kennicotto, temporis respectu, posterior aliquantisper esset, criseos tamen bonitate, moderatione, doctrinâ, ei eousque superior evasit, ut comparationem inter eos difficile esset instituere. Utut tamen hæc se habeant, hoc certo certius est, utriusque sc. collationes eòdem prorsùs collineabant,† idem demonstrabant: Textum, sc. Hebraïcum hodiernum nusquam, datâ operâ, fuisse corruptum; nullas eum sacrilegas Judæorum manus, quovis sæculo, fuisse passum: sed, quamvis emendatione levi criticâ, hinc indè fortè egeat; esse eum tamen, in iis quæ fidem Christianam bonosque mores spectant, omni exceptione majorem; atque adeò unam eandemque revelationem sistere Divinam, quam Patriarchæ ac Prophetæ posteris tradendam acceperunt.

## SECTIO XIV.

*De Codicibus Hebraïcis MSS. in Indiâ Orientali et Sinâ reperiundis.*

I. Quùm haud ita multos abhinc annos, sententia omnium ferè doctorum animis irrepserat, Codices sc. Hebraïcos multos esse in Synagogis Judæorum Orientalium; qui, si in manus nostras tandem aliquando pervenirent, magno ii sacræ crisi emolumento forent.‡ Kennicotti Doctiss. conatus, hujusmodi exemplar acquirendi, omnes quidem irriti evasêre, ita ut cuncti hâc de re tandem pænè desperârint. Anno tamen à C. N. 1806. Vir celebris Claudius Buchananus, Rotulum ad usus Synagogæ accommodatum, atque inter Judæos Malabaricos repertum, in Bibliothecam Academiæ inclytæ Cantabrigiensium deposuit. Hujus exemplaris satis antiqui, et cæteroquin bonæ notæ, collationem instituit T. Yeates, vir in hâc palæstrâ non ad amussim edoctus. Collationem tandem suam in lucem emisit, quam is, multæ sacris literis frugi futuram, verbis sat splendidis prædicavit. Sed hoc à tali viro facilè ferendum, ni Professor Theologiæ Margarettanus, Doctiss. Marshius, nunc verò Episcopus Peterburgensis, idem verbis sat speciosis prædicâsset. "Codices," inquit ille, "Pentateuchi Hebraïci, in partibus Europæ occidentalibus servati, quamvis ii eodem jure ac Codices in Indiâ orientali reperti, ab αὐτογράφῳ Mosaïco sint derivati; aliis tamen rivulis necessariò descenderunt: convenientia itaque arcta illa hos inter illosque notanda, argumento esse potest, illos (sc. Europæos) textum Archetypum servâsse, magnâ cum puritate. Quùm autem exemplar hocce, iis in circumstantiis repertum esset, quibus, convenientiæ illius ratio à connexione quâvis immediatâ reddi nequeat, &c."§ At Vir doctissimus, à speciosâ fortassis hujus codicis historiâ, in hujusmodi crisi haud valdè exercitatus uti alibi ingenuè fatetur, deceptus est. Rotulus enim est verè Masorethicus; atque, ut literarum ejus ductus manifestissimè produnt, in partibus occidentalibus Europæ, Hispaniâ, sc. exaratus. Undè ille connexionis istius defectum, ejusmodi ut fieri nequeat, &c., expiscatus fuerit, divinare sanè nequeo; cùm certo certius est, Buchananum clariss. Libros impressos ab iisdem Judæis accepisse, eosque cum hoc Rotulo in Bibliothecâ eâdem collocâsse: qui, ut quisque videre potest, à Judæis Europæïs omnes impressi sunt. Neque argumentum ipsius Yeates quicquam illi proderit, Rotulum, sc. illum ex tribus coriis versicoloribus fuisse compactum, ni isthoc priùs demonstrâsset, Judæos sc. Europæos coriis versicoloribus uti non potuisse. Rotulus MSS. est igitur Europæus Masorethicus, et quùm errores quidam haud vulgares, indoctum Scribam prodentes, ejus textum hinc indè fœdârint, Exemplar, ni valdè fallor, haud multi est pretii.

---

* Codicum MSS. et Editionum impressarum collatio ad numerum 694 exsurgit.

† Valdè est optandum equidem, Virum aliquem doctum, otioque literario, quod perpaucis hodie contingit, beatum, Varietates hasce in classes, si id fieri possit, redacturum: rudem namque valdè indigestamque molem nunc sistunt.

‡ Idem ferè censuerunt quondam nonnulli de exemplaribus Biblicis Karæorum, donec tandem Doctissimus Wolfius rem extra dubium posuit, evicitque tùm Karæos tùm Rabbinitas eundem omninò sequi Textum sacrum. Vide Bibliothecam ejus Hebræam. Vol. ii. p. 435; iv. p. 166, 1086, et p. 1070.

§ Collation of an Indian copy of the Hebrew Pentateuch, &c., by Thomas Yeates, Cambridge, 1812, p. 40.

II. Neque res Judæos Sinenses spectans se aliter habet: ii, enim, testante clarissimo de Sacy, commercium cum Europæis exercuêrunt; et T. Yeates suprà memoratus, post celeber. Buchananum, Judæi Cabulenses, inquit, mercaturæ gratiâ quotannis in partes Sinæ proficiscuntur: adeò ut, nullus dubitationis locus superesse potest, quin ii codices Manuscriptos ex partibus Europæis in Sinam transtulerint: et, ut omnis præterea dubitandi alea è medio tollatur, certum est Codicem MSS. a Doctiss. Koeglero memoratum, inscriptione gaudere partim Persicè partimque Hebraïcè exaratâ. Textus igitur Orientalis est planè Masorethicus, et cum nostro hodierno amicissimè concordans: quod, et paucula ex Koegleri Codicis Cai-fung-fuensis descriptione excerpta, demonstratum dabunt.

"Quicquid habent de SS. Bibliis,"* inquit Koeglerus, "asservant in Templo seu Synagogâ publicâ. Religioni sibi ducunt, librum aliquem, sive sacrum, sive alium, charactere scriptum Hebræo, retinere domi. In loco autem Synagogæ maximè honorato habent super mensas posita 13, velut tabernacula, singulis velis cooperta, in quibus custodiuntur totidem exempla suorum *King*, seu Bibliorum: id est 13 volumina Pentateuchi 12 nempè in memoriam 12 tribuum Isräel, et unum in honorem Mosis. Atque hoc unicum est, quod restat ab antiquis exemplis, et in tragica urbis inundatione, quæ superiore sæculo accidit, servatum fuit, licet non parum damni passum. Reliqua 12 exempla secundum hoc postliminio descripta fuerunt. Obtinendi autem unum istorum exemplorum vix est spes, etiam oblato multo argento; quia unicum hodie objectum fermè sunt ipsorum cultus.

"Cætera Bibliorum volumina asservantur in cameris ad latus synagogæ subclave: ubi quam plurimi sunt libri, sed majorem partem valdè destructi, et pauci integri ac legibiles; pauca item exempla Pentateuchi extra illa, quæ privatis, quando opus est, in conventibus distribui solent. Solum porro Pentateuchum proprie vocant linguâ Sinicâ *King*, sive Canonicum: et de hoc loquentes aiunt se habere 53 libros seu sectiones scripturæ Canonicæ."†

"Characteres istorum Bibliorum ferme nihil differunt à characteribus Hebraicis in Europa usitatis, quales visuntur in Bibliis Judæorum Amstelodami excusis. Differentia præcipua notata fuit in accentibus (nam etiam his utuntur, uti et punctis seu vocalibus) Atnach, Merca, et Zakeph gadol. Primum formant sic (֣) alterum sic (֑) tertium (֥). Est etiam aliqua diversitas in istorum usu. E. g. in conjunctione את loco Merca,

---

* Ignatii Kœgleri S. J. Notitiæ S. S. Bibliorum Judæorum in Imperio Sinensi Editio altera. Halæ ad Salam. 1805. "Notum est, Pentateuchi paraschas Judæis Europæis esse 54. in Gen. 12. in Exod. 11. in Lev. 10. in Num. 10. in Deut. 11. ubi Judæi Sinenses numerant tantummodo 10. paraschas," &c.

† Quædam ad finem quaternionis Bereschith hujus MSS. à Rabbino quodam Persico, uti videtur, adnotata veniunt; quæ, post tentamina celebb. de Sacy, Tychseniique Rostochiensis, in examen iterum vocare operæ pretium forsitan erit. Inscriptio, literis Hebraïcis, ita se habet. דר במדינת באול בין ליגנן שהר כודאי אומד אסמאן תורה פונאה סה פרשה חמה ישראל סוהון אמן ניושת אול תורה צולי אלף תשעה מאה שלשים שלש מאהי אב חדא בשבא שלש רוזי ניושת תורה תאסם צלי אלף תשע מאה שלשים שבע מאהי איור שרבעה בשבא עשר שני רוזי מרינו רבינו רבי יעקב בן רבי &c. Quæ, cum multa vocabula Persica contineant, ita Persicis Persica, Hebracis Hebraïca, exarentur literis.

دّر بمدينت باوّل پين لبجنن شهر خداي از مدّ آسمان
תורה פנחאת סה פרשה חמה (חמת leg. cum Tychs.) ישראל سخن امن نوشت
أوّل תורה سالي אלף תשעה מאה שלשים שלש ماهي אב חדא בשבא שלש روزي ·
نوشت תו تمام سالي אלף תשע מאה שלשים שבע ماهي ايار שרבע בשבא עשר
&c. שני روزي מרינו רבינו רבי יעקב Hoc est, ad mentem nostram. "*Margarita in civitate, primò* (appellata) *Pienleang, urbe maximâ, cælo auxiliante,* (est) *Lex* (Mosaïca) *quinquaginta tres paraschas* (continens), *statutum Israelis sermo verus. Scripsit initium legis, anno* 1933, *mensis Ab, die primâ Hebdomadis, tertiâ mensis: Scripsit Legem universam anno* 1937, *mensi Jyar, quartâ Hebdomàdis, duodecimâ mensis die, Doctor et Magister noster Rabbi Jacob filius Rabbi, &c.*"

Celeber. De Sacy, in Opere splendido cui tutulus, "Notices et extraits, &c. Tome iv. p. 599. hujus inscriptionis interpretationem pereruditam, at in nonnullis mirè deceptus, in lucem emisit. Locutio در بمدينت is per, *in civitate* ('Dans la ville,') vernaculè reddidit; cum tamen aut در aut ب omninò πλεονάζειν necessè est, quod is non animadvertit. Tychsenius alterutram extrusit, malè ut opinor. Verum tamen nihil solenniùs apud Orientales est, quàm librum quempiam pretiosum, Margaritæ nomine insignire. Et ita vox در *Durr* sonabit. De phrasi شهر خداي ita loquitur vir Doctiss. p. 602. 'Ville de Dieu'....Il est vraisemblable que les juifs de la Chine donnent à Caïfong-fou le titre de *Ville de Dieu*, à cause de la synagogue qu'elle renferme." Sed hæc viro cæteroquin felicissimo indigna. Moris est enim apud Judæos, isque usu Biblico tritus, quodcunque permagnum Dei nomine ornare, ut illa אַרְזֵי אֵל *cedri Dei*, maximi sc: quod et inter Persas in colloquiis quotidianis valere, Vir Persa doctissimus me nuper admonuit. Verisimile igitur non est, Judæos Sinenses civitatem suprà memoratam eo titulo ornâsse, quia sc. exemplar legis suæ habuerit. Phrasis præterea از مدّ آسمان, cœlo auxiliante, usu quoque Biblico saucitur, quod miror celeb. de Sacy non adnotâsse, cum Rabbinica Sinicaque sat multa eò pertinentia corraserit: videatur Dan. iv. 26. Luc. xv. 21. Sed his insignior est lapsus ejus, cum vocem نوشت (is per نويشت perperàm) passivè acceperit, quæ, unusquisque satis clarè videbit, activè sumi oportuit. Sed et error alius historicus indè pullulabat: scriptor exemplaris enim, qui, et huic verbo نوشت sc. nominativus sisti debet, est מרינו רבינו *Magister noster Rabbi Jacob* &c. quem de Sacy vagum, et ad nullam inscriptionis partem religatum putavit. Cætera hujus inscriptionis verba, ita se habent. בן רבי אבישי בן רבי אלדד הספר המלמד השליחי השליה רבי שאדי בר רבי יעקב ניושאו צלי רבי מורדכי בר שמעון בנישת רבי עקיבה בן אהרון בן עזרא בר נדבה (lego נדבה) הבחור שמחה בר יחשני בן יוסף גואה רבי יעקב בר ראובן בן בוזי מורדכי בר בנימין בן בוי ברוך אתה באאך וברוך אתה בצאתך: כבר מאד מאד במקניה בנסף לישועתך קויתי יהוה:.... Filius Rabbi Abishai filius Rabbi Eldad, Scriba edoctus, errori obnoxius. Errans Rabbi Schadi filius Rabbi Jacob, Scriba ejus, (صلي) benedicat (eum Deus,) Rabbi Mordechai filius Simeonis, ad scriptionem (seu exemplar) Rabbi Akiba filii Aaron filii Ezræ (descripsit sc.). Voluntariè vovit, Juvenis Simkha filius Jakhshani filius Josephi. Intus (id recepit) Rabbi Jacob filius Reuben Buzi: (item) Mordechai filius Benjamin filii Buzi (lego בן בוי.). Hoc modo de Sacy hæc reddidit. "*Notre maitre, notre rabin, Rabi Jacob fils de Rabi Abischai fils de Rabi Eldad, le scribe bien instruit, C.... Rabi Schadaï fils de Rabi Jacob.... Rabi Mordecai fils de Simeon Benischt, Rabi Akiba fils d'Aaron fils d'Esdras; il a voué une oblation voluntaire: C Jeune Simha fils de Yeheschni fils de Joseph; l'excellent Rabi Jacob fils de Ruben fils de Bouzi; Mordecai fils de Benjamin fils de Boui.*" Ad vocem "Voluntaire" hæc adnotat vir celeb. "*Ces mots peuvent signifier que ce Juif est celui à qui appartenoit ce ta-king, et qu'il en a fait présent à la synagogue.*" Felix sanè conjectura, scintillas nonnullas è tenebris densissimis exsculpans! Sed quædam vindiciarum loco dare juvabit. Scriba hicce Rabbi Jacob, &c. uti suprà dictum, exemplar exaravit. Vocem השליחי per *errori obnoxius* reddidi, radix enim שלה apud Rabbinos eo sensu usurpatur: persæpè hujusmodi dictis utuntur Scribæ Orientales quod et omnes nôrunt. Voculam הַשְּׁלִיחַ sequentem, easdem ob rationes, eodem sensu accepi. ניושאו omni procul dubio, نويس او *Scriba*, seu *amanuensis ejus*, sonat, ut tum de Sacy tum Tychsenius adnotârunt. צלי pro Arab. صلي accepi: sed potest etiam sensu persici سالي, i. e. senex, annuatus, sive annis detritus, sumi: quod fortassis veriorem fundabit interpretationem. בנישת optimè vocibus Persicis بهٔ نوشت sive بنوشت i. e. *scriptioni*, vel *ad scriptionem*, conveniet. De Sacy pro nomine proprio perperàm sumpsit. Pro נדבה lego נדבה, ut et de Sacy legit. De voce גואה adhuc ambigo: transtuli eam tamen quasi verbjascentem à voce גוא *intus*, sumens ה finale, ceu pronomen ו, sæpè scriptum הִ, *ejus, id.* &c. significans. Si Rabbini sc. quorum nomina sequuntur, Saganes seu Ministri Synagogæ, quando exemplar hoc votivum factum est, fuerint, ii id accepisse intúsque tulisse verè dicerentur. Utcunque hoc se habuerit, certum est inscriptionem ita redditam, sensum probabilem demùm præ se ferre: atque eâtenus, me oleum atque operam non omninò perdidisse hoc conatu fortassis crederem.—

Multus et quidem eruditus est S. de Sacy in definiendis æris Judaïcis post Bartoloccium cæterosque, in hoc articulo. In p. 607, de ærâ contractuum copiosè disseruit; atqui originem ejus non assecutus est, perperàm eam cum ærâ Seleucidarum confundens. Bartoloccius à clariss. de Sacy laudatus, sententias Judæorum recentiorum de eâ citat; ii tamen plerumque de rebus paulò vetustioribus nihil sciunt. Buxtorfii de abbreviaturis tractatum p. 334 citat Vir Doctiss. sed tot paginas non complectitur liber iste.—Si Vir doctiss. 1 Machab. c. xiii. v. 42. inspexisset, omnia luce clariora evasissent, vidissetque æram contractuum, non cum ærâ Selucidarum conspirâsse, verùm ab anno primo Simonis Sacerdotis magni incepisse.

qui post Zere ponitur in Bibliis Amstelodamensibus, constanter isti in suis habent Munach post Segol: sicuti et in אֶרֶץ videtur Munach post Camez loco Tiphcha. Communi autem nomine accentus appellant *Siman*, סימן. Frequentissimè quoque in ipsorum Bibliis occurrit lineola horizontalis — super literas, quas aiunt exigere pronuntiationem suavem, ipsis dictam *Lofi;* fortè Rofi, seu רפה. Literas universim numerant 27, illis 5 scilicet etiam in numerum bis venientibus, quæ dupliciter scribuntur, aliter in fine dictionis, aliter in medio ac principio, communiter dictæ *Kemanpaz*. Pronuntiatio autem est valdè diversa; quia nempe inter Sinas nati et educati nesciunt exprimere sonos b, d, e, r, etc. sed istis substituunt sonos p, t, ie, l, etc. Punctorum autem sonus ex sequenti paradigmate colligi potest."

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| אְ | אַ | אֶ | אָ | אִ | אֻ | אֵ | אוֹ | אַ | אָ |
| ngu | nga | ie | ie | i | u | ie | eu.io | a | o |

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| בּוּ | בַּ | בֶּ | בָּ | בִּ | בֻּ | בֵּ | בֹּ | בַּ | בָּ |
| pŭ | pă | pie | pie | pi | pu | pie | peo | pa | po |

" Ultimæ ad sinistram notæ *nga*, *ngu*, *pă*, *pŭ*, designant sonum aliquem gutturalem, veluti literæ *n* narium adjumento interjectæ. Singularis quoque est pronuntiatio syllabæ הוּ in fine dictionis, quæ gutturaliter ipsis sonat veluti *hung:* unde illa verba Gen. וַיָּהוּ חֹהוּ pronuntiant *theohung, vapeohung*, et quidam scribens suum nomen circumcisionis sic מִיחִהוּ pronuntiavit *manthi iohung*."

" Libros Biblicos in 4 dividunt classes. Primam constituunt *King*, seu libri Canonici, id est, Pentateuchus in 53 partes sive lectiones divisus, eodem ordine et iisdem titulis, uti videre est in Bibl. Amstel. quæ conficiunt Legem integram, sive Thorah, vel, prout ipsi pronuntiant, *Thaulaha*, seu *Thaulaze*. Librorum autem nomina sic illi legunt: Bereschith *Pieleschitze*, Schemoth *Schemotze*, Vaicra *Vaiekelo*, Bemidbar, *Piemizepaul*, Debarim *Teveliim*. Alteram classem vocant *Sang zo*, id est supplementum, seu libros separatos, quorum sunt 5, Josue, Judices, Samuel, Melakim, et David. Josue et Judices integros non habent; sed et in libris Regum hinc inde desunt varia. Samuel, seu, ut ipsi aiunt *Schemueul*, est integer. An in David *(Tavite)* aliquid deficiat, explorari non potuit. Tertiam classem appellant *Lipai*, id est libros cærimoniarum seu rituales. In ista ponunt 2 Majores Prophetas, Isaiam *(Isehaha)* quem habent integrum, et Jeremiam, quem legunt diebus festis, et vocant *Jalemeiohung*, seu juxta nomen Dibrei in margine libri scriptum, *Tiveli*. De Ezechiele, ut aiunt, nihil habent, et de Daniele aliquot tantum versus primi capitis. Eodem reducuntur Prophetæ minores, quantum ex illis restat. Solum Jonam *(Juonaha)* habent integrum. Micheas *(Micaha)*, Nahum *(Nahuang)*, Habacuc *(Hapacuke)*, Sophonias *(Sefanejoho)*, Aggæus *(Hokavi)*, Zacharias *(Secaleio)* mutili sunt: de aliis nihil restat. Tandem eo trahunt libros quoque Paralipomenon *(Tiveli hajamiim)*, quorum prima tantum 4 aut 5 capita habent, eaque non integra. Classem ultimam appellant *Hafuchala* seu libros historicos et commentarios, continetque Estherem, quam vulgo nominant *Ipetha mama*, Esdram, Nehemiam mutilum, priores 2 libros Machabæorum, integros quidem, sed in malo statu; sicut et alios aliquot libros, quorum nomina perdiderunt, et Sinicè appellant *Kiang tschang*, id est interpretes. Hæ sunt 4 classes librorum Scripturæ. De Proverbiis, Job, Canticis, Ecclesiaste, quantum cognoscere licuit, nihil habent. De Ruth, et Threnis nondum potuit defectu temporis bene examinari. Forte etiam plus habent, ac ipsi dicant, aut putent se habere, ob crassam ignorantiam: neque enim ullum habent stimulum curiosæ inquisitionis in materia librorum et scientiarum; neque permittunt libros è loco secum deferre, ibi autem facile non est singulos inspicere, ubi in grandi confusione et absque ullo ordine commisti jacent. Hæc de Bibliothecâ ipsorum, quæ utcunque aspectu pauper, posset tamen sat dives videri Eruditis Europæ, si occasio esset, et opportunitas eam morose perscrutandi, &c.

" Quod spectat ad Pesukim, seu ut ipsi vocant, *Kela*, sunt ea diligenter notata, et in eodem situ, sicut in Bibl. Amstel. et quantum videre licuit, valde exacte, sine numero tamen versuum in margine. Uno autem obtutu tota summa versuum videtur ad calcem singulorum quaternionum sive sectionum infra ultimam lineam per characteres numerales expressa. Sic in fine sectionis Bereschith est numerus קמו, et in fine sectionis Noah, est numerus קמג. et sic alibi absque distinctione capitum sive per characteres, sive per intervalla. Keri et Ketib in ipsorum Bibliis observata non sunt: et facta de iis mentione, ac ostensa forma in Bibl. Amstel. non intellexerunt. Habent tamen majusculas aliquot et minusculas litteras: sic prima Lectio incipit per grande ב hoc modo : בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ Et in vers. 4. cap. 2. habetur harum ה in voce בְּהִבָּרְאָם absque alia nota supra literam, aut in margine. Quod spectat ad nomen Dei ineffabile, certum est, quod ejus loco legant Adonai, seu, ut ipsi pronuntiant, *Etunoi* sive *Hotanoi*," &c.

Cætera sunt pauca et minoris momenti, et quæ nullo dispendio omitti queant. Quæ dedimus satis, ni fallimur, omnibus facient, Bibliorum Sinensium exemplaria esse omninò Masorethica, nostrisque in omnibus immò ferè minutiis, conformia.

---

# PROLEGOMENON II.

## SECTIO I.

*De Pentateucho Samaritano, ejusque Versionibus, Samaritică, Græcâ, et Arabicâ.*

I. PENTATEUCHUS Samaritanus, recensionem Pentateuchi Hebraïci non Judaïcam, literis Samariticis, ut aiunt, exaratam, omninò sistit. De hâc recensione varia statuerunt varii, et adhucdum statuunt viri docti: sed, ut eo meliùs de ejus indole sententia feratur, haud abs re erit, fata quæ subierit pauculis delibare.

II. Florentibus rebus in Palæstinâ, luxuique deditis tùm Populo tùm Rege ipsorum Rehoboamo, schisma grande statim exortum est, cujus reliquiæ ad hunc usque diem manent. Tribuum è duodecim filiis Israel decem, novum pro semet Regem regnumque constituerunt, cujus fecerunt Metropolin Samariam: duæ tantummodo Domui David adhærebant, sanctaque ipsorum in Templo Hierosolymitano solennia faciebant. Samaritæ, lege Mosaïcâ in multis pessundatâ, mirum quantum brevi in idololatriam prolapsi sunt: reclamantibus interea Prophetis, minasque gravissimas denunantitibus, aurem minimè præbuerunt, donec tandem Rex Assyrius Salmanasar, civitate eorum captâ, eos omnes captivos in patriam suam abduxit, et colonias è Cuthâ, Avâ, Hamath, et Sepharvaim, novas emisit, agros illorum in posterum occupaturas. Utrum verò ex Israelitis aliqui in terrâ ipsorum manserint, ambigunt Viri docti: neque multùm interest. Certum est tamen, Salmanasarem Regem rogatu colonorum, quippè qui à feris in agro Samaritense consumpti erant, Sacerdotem, eorum in religione istius terræ erudiendi gratiâ, illuc misisse; donec tandem, Deo favente, feræ eos lacerare cessârunt. Samaritæ novi, exindè saltem, uti verisimile est, exemplar legis Mosaïcæ manibus terebant: et, si fortè colonorum veterum nonnulli in agro suo adhuc quoque mansissent, ii quoque, uti par est, exemplaria sua à majoribus accepta retinuissent. Utcunque tamen se res habuerit, certum est, eos, populo Judaïco è Babyloniâ reduce, fassos esse se Deum Judæorum coluisse; atque ideò commercium cum Judæis expetere. Atque, si res aliter se habuisset, quin ii toto hocce intervallo Leonibus infestarentur,

nulla fortè ratio valida reddi potest. Denegato à Judæis commercio expetito, graves indè exoriebantur inimicitiæ in æternum duraturæ: et hasce mirum in modum adauxit, quod, non multò post Manasses Jaddi Pontificis maximi filius, qui filiam Sanballeti Samariæ à Rege Persarum Præfecti, in matrimonium acceperat, nolens eam repudiare sacerdotio privatus est. Is ad Socerum semet contulit quæritans, Se filiam ejus quidem adamare, malle veruntamen sacerdotio uti. Socer respondit, Se Sacerdotium Templumque ei daturum, modo filiam suam uxorem retineret. Promissis stetit. Templum prægrande in monte Garizim extruxit, Hierosolymitano suppar: quò et multi, uxores suas alienigenas retinere volentes, semet Judæi receperunt: undè tùm Populus, tùm Templum Samariticum, divitias ingentes, viresque haud contemnendas comparâre; quæ ad tempora Hyrcani usque, qui Templum funditùs diruit, populumque tributarium fecit, apud Samaritas mansêre.

III. Samaritæ, quùm neque ii cum Judæis neque Chaldæis, commercium ullum exercebant, Legis sui exemplar antiquis literis exaratum manibus terebant; et, cum Sacerdotes eorum jus nullum in exemplaria publica nullumque exemplar authenticum ad quod cætera exigerentur, scholasve publicas, in quibus Sacerdotes ipsorum erudirentur, habebant; factum est, ut brevi temporis decursu, codices eorum valdè corrupti, additamentorumque farragine sat amplâ defœdati, evasêre. Quod, et apud Latinos, easdem ab causas teste Augustino, factum est. Accedit, quod ii nimis fortassè scrupulosi, vel saltem sapientiores quam par erat, ut indoctioribus nonnunquam accidit, locis quibusdam falcem criticam immitere haud dubitârint, præsertim cum partibus suis ita consulere nullo negotio potuerint. Et ita sanè res se habet, uti statim videbitur. Gesenio igitur doctissimo cæterisque ejus à parte, adstipulari nequeo, statuenti, Samaritas nullum Legis Mosaïcæ exemplar habuisse, donec tandem Judæi reduces in Palæstinam venerint: neque, quod majoris est, credere, Judaïca exemplaria ad id usque tempus, formam Samaritico haud ita absimilem præ se tulisse. Apud Judæos enim, curæ semper Levitis fuit, ne codex sacer immutatus, ullove respectu inquinatus evaderet. Inter Judæos in ipsâ captivitate, uti anteà dictum, nonnulli ad aulam Regiam usque provecti sunt; et valdè est verisimile, ut et à Lœschero observatum, scholas quasdam celebres, tum temporis apud eos in Babyloniâ fuisse extructas. Iis vero reducibus, pro comperto est, Sacerdotes in lege fuisse versatissimos, nonnullos præterea Prophetas inter eos vixisse. Longè aliter apud Samaritas res se habuit. Ii tribum nullam sacerdotalem agnoscebant, nullas erigebant scholas, nullis gaudebant Prophetis: ex infimâ plebe nonnunquam Doctores publicos fecerunt; atque, pro ingenio Principum, ut in Manassis historiâ videre est, aut demùm partium studio, aut ut proximis Judæis infensiores essent, omnia procurabant. Quid mirum igitur, tot sphalmata Pentateuchum eorum fœdare? tot inscitiæ notas ei inuri? Mirandum mihi multò magis videtur, eum in hodiernum usque diem, tàm purum servatum fuisse: et, cum in multis se ita deformatum præbeat, in maximis verò, iisque gravioribus, archetypo puriori Hebraïco se tàm amicè conspirantem exhibeat. Ejus cum Septuaginta virali versione consensum, posthac sub incudem vocabimus: in presentiarum satis erit, Doctissimi Gesenii de eo sententiam, in medium proferre.* "Docet," inquit ille, "utriusque textus collatio, id quod fusius etiam demonstrabit pars commentationis nostræ posterior, tantum non omnes lectiones, quibus ab hebræo exemplo discrepant samaritanum et alexandrinum, speciem præ se ferre *glossarum. Emendationum conjecturalium*, et *supplementorum*, sæpè è locis parallelis petitorum; quibus in exemplo samaritano accedunt pericopæ majores è locis parallelis interpolatæ: et denique loca *ad sermonem cultumque Samaritanorum domesticum composita*.... Consentit uterque Codex in magnâ parte earum lectionum, quæ glossam sapiunt textuique illatam emendationemve conjecturalem locorum paulo difficiliorum, idque ita, ut hunc consensum fortuitum esse, omnino cogitari nequeat. Ex quo genere habes exempla: Gen. ii. 2, 24; xiv. 19; xv. 21; xvii. 14; xviii. 19; xxiv. 62; xxv. 8; xxvii. 27; xxix. 1; xxxvi. 6; xli. 16; xlvii. 21; xlix. 3, 4, 12, 22, 26; Lev. xviii. 21; Num. xvi. 15; xxi. 28; xxxiv. 6; Deut. xxxii. 5, &c." Et rursus, paulò specialius:† "Omnis autem hujus textus varietas ad octo hæc capita commodè referri poterit, ut sint: 1. *Emendationes ad leges vulgaris grammaticæ exactæ.* 2. *Glossæ sive interpretamenta in textum recepta.* 3. *Emendationes conjecturales locorum, quæ verborum aliquâ difficultate laborant, verâ, vel opinatâ.* 4. *Lectiones è locis parallelis vel correctæ vel suppletæ.* 5. *Additamenta majora ex locis parallelis interpolata.* 6. *Emendationes locorum difficultate quadam in rebus, et maximè quidem historico in genere, laborantium.* 7. *Formæ vocabulorum ad dialectum samaritanam attemperatæ.* 8. *Loca denique ad Theologiam et hermeneuticam Samaritanorum domesticam conformatâ.*" Posthac, exemplorum segetem sat amplam dat vir doctissimus, quorum pauca seligemus. Sufficiat hîc loci observare, his errorum sentibus haud equidem paucis, palàm factis, vix esse necessè, ut et cuique fortè videbitur, Exemplar Samaritano-Alexandrinum ceu horum omnium basin atque fundamentum à Judæis primo defœdatum, cum doctiss. Gesenio fingere. Quid de Septuaginta virali hâc de re censeri debeat, postea videbimus. Exempla pauca, ad classes suprà notatas relata, nunc è commentatione Gesenii dare pergamus: Lector, è Tabulâ varietatum Pentateuchi Samaritani cum Hebraïco collati ad finem Bibliorum nostrorum amandatarum, ea prout libuerit augere poterit.

IV. Classis I. *Emendationes grammaticales spectantes.* Difficultates quæ ex omissionibus literarum אהוי oriri possint, iis insertis, ferè ubique tolluntur: ut מאורות pro מָאוֹת, אילהם pro אֵלֶּהָם. Gen. i. 14, 16. coll. cum v. 21, 28, &c. Item ראשון pro ראשן quamvis forma ראשון a Masorethis improbata est, Gen. xiii. 4. xxv. 24; xxvi. 1; xxviii. 19, &c. Hoc autem factum fuisse, ut, cum nullis utuntur punctis vocalibus Samaritani, vera vocum pronuntiatio sensusque servaretur, credibile est. Interdum porrò, invitâ grammaticâ literas hasce usurpant, ut חוסנו pro חָסָנָיו, Levit. xvi. 12. אוניות pro אֳנִיּוֹת, Deut. xxviii. 68. conf. Paralip. xxviii. 68. גישודי pro קְשׁוּרֵי Deut. iii. 14. Ubi literæ ו et י loca vocalium imperfectorum, vel etiam shevatis ejusve substituti, occupant.

V. In *pronominibus*, formas insolentiores corrigunt: ut, אנחנו pro נחנו, ubique: המה pro הֵם: הוא pro הוּא, cum generis esse feminini locus postulet: ו pro ה, Gen. ix. 21; xii. 8, &c. האלה pro הָאֵל.

VI. In *Verborum* flexione, futuri, vel potiùs præsentis, formam apocopatam, ut vocant, ferè perpetuò in vulgarem immutant: cum ejus nullum in dialecto Samaritică agnoscant usum: literis præterea omnibus additis, ut facilitati perspicuitatique loci consulere videantur: sic ותגיד pro וַתַּגֶּד Gen. xxiv. 22, &c., ויסוח pro וַיִּסַּע, Gen. xxv. 18. וישוב, xxxii. 2. ואשים, ib. xxiv. 47. יראה pro יִרְא, ib. xli. 33. וארואה pro וארא xxxi. 10, &c. Pro formâ תִּקְטֹלְנָה, terminationem מה vulgariorem usurpant. Gen. xxvi. 35; xxxvii. 7. Hæc forma præterea in הן sæpè desinit, ut pronomen fortassè femininum clariùs semet exserat, e. g. תבואהן pro תָּבֹאנָה Gen. xxx. 38, &c.

VII. *Vau* et *Jod*, paragogica, utpote difficilioris indaginis sæpiùs omittuntur; ut שכן pro שָׁכְנִי Deut. xxxiii. 16, &c. והי pro הָיְתָה Gen. i. 24. Genera nominum ad formas grammaticales,

* De Pent. Samar. Orig. &c. Halæ 1815. § 3.

† Ib. § 8, p. 25.

contra usûs normam, crebrò permutant, ut לחם Gen. xlix. 20. שש Deut. xv. 7, &c. מחמה Gen. xxxii. 9. pro masculis accipientes, cum communia sint: ארץ, Gen. xiii. 6. דרך, Deut. xxviii. 25. נפש, Gen. xlvi. 23. רוח Exod. x. 14. שכם Gen. xlviii. 22. שמש, Gen. xix. 23. item pro masculis, cum sint ea vocabula feminina. Necnon vox נער in gen. fem. utenda, in נערה ubique immutant.

VIII. In phrasium resolutione misere peccant,* e. g. נָשָׂבוּ הָלוֹךְ וָשׁוֹב, infinitiva seu nomina verbalia, in verba mutantes, Gen. viii. 3. it. v. 5, et 7. הלכו ושבו—יצא ושב—הלכו וחסרו, &c. In locis præterea multis, infinitivum adverbialiter sumendum, in præteritum ejus tempus mutârunt, ut הרחיקה pro הרחק Gen. xxi. 16, &c. הרבה ib. xv. 2. in ארבה *multiplicabo*, et ib. xli. 43. pro נתן ,נחן *dedit*, posuerunt. Structuram קָטוֹל וְקָטֹל observant, interdum tamen, contra Hebræorum consuetudinem, infinitivum cum participio commutant; ut ידע נדע Gen. xliii. 7. שומם ישמם ib. xix. 9, &c. Figuras quoque rariores, qualis est Zeugma, et numerorum enallages, ut aiunt, prorsùs eliminant, ut Gen. iv. 10. pro צעקים, reponunt צעק, videantur quoque Gen. xxiv. 55; xxxv. 16; xli. 45, 53; xlii. 35; xlvii. 28; Exod. iv. 29; vii. 25, &c. Plura ad hanc classem data, Lector in ipso doctiss. Gesenii tractatu inveniet.

IX. Ad secundam classem hæc adnotat Doctiss. Gesenius: "*Alterum* variarum lectionum *genus*, idque valdè locuples, cernitur in *interpretamentis* sive *glossis* in textum receptis. Ut supra monitum est, Samaritanis in hoc emendandi genere præivit *διόρθωσις* Judæo-alexandrina; haud exigua igitur harum lectionum pars textui nostro cum versione LXX. virali communis est, &c." At pace viri Doctissimi dixerim, nulla aut rei historia aut exigentia, id postulat ut hujusmodi *διόρθωσις* Judæo-alexandrina versioni *τῶν ὸ* consulendi gratiâ comminiscatur: quod postea, datâ operâ demonstrabimus. Pergit Auctor: "Continent autem hæ glossæ textûs interpretamenta magnam partem satis bona, quæ non possumus non probare; aliæ, quanquam deterioris notæ, plerumque tamen vel apud hebræos interpretes vel in versionibus veteribus reperiuntur, ita ut dubitari non possit, *διασκευασὰς* nostros in iis traditionem quandam exegeticam secutos esse." Majora tantum exscribemus. Num. xxiii. 4. ויקם אלהים אל בלעם. Sam. וימצא מלאך אלהים את בלעם. Gen. xx. 3. עַל הָאִשָּׁה. Sam. על אודת האשה. Gen. xxiv. 55. יָמִים אוֹ עָשׂוֹר *dies vel decem*. Sam. perquam malè יכים או חדש, *dies* (aliquot) *aut mensis*. Pro בניכין, Sam. habet בניכים, interpretationem traditionalem, uti videtur, etymon nominis sc. *filius dierum*, non *filius dextræ*, captans, sequitur. Exod. xxv. 20. pro אִישׁ אֶל אָחִיו de inanimatis, subjicit Sam. אחד אל אחד: et pro אִשָּׁה אֶל אֲחוֹתָהּ fem. אחת אל אחת, xxvi. 3, &c.

X. Quæ Vir doctissimus ad classem suam tertiam adnotavit, cum apprimè ad rem faciant, me temperare non possum, quin ea exscribam: "*Tertium* genus," inquit ille, "ea constituunt loca, in quibus textus vulgaris difficultate quâdam laborat vel verâ, vel, ut plurimum, apparente et fictâ, cui ita subvenit *διόρθωσις* samaritana, ut mutatione quâdam interdum satis levi et paucarum literarum sensus facilior prodeat. Qui verò," addit, "cum talis sit, ut modo a contextu accuratè perpenso, modo a linguæ hebrææ ingenio interius perspecto alienus sit, unusquisque agnoscet in re criticâ vel mediocriter versatus, accidisse plerumque textus nostri diasceuastis, *quod recentioribus etiam Pseudocriticis solet, qui consilium et sermonem veterum è suo potius ingenio, quàm è naturâ linguæ et vetustatis ingenio æstiment.*" (pp. 36, 37.) e. g. Gen. ix. 5. מִיַּד אָדָם מִיַּד אִישׁ אָחִיו, jejunè facit Sam. מיד איש ואחיו, vires præcipuas loci prorsùs destruens, quæ fraternitatem arctam humanam quasi digito monstrant. Gen. xxxvi. 6. אֶל אֶרֶץ מִפְנֵי, &c. Sam. מארץ כנען *è terrâ Canaan*. Gen. xlvii. 21. וְאֶת הָעָם הֶעֱבִיר אֹתוֹ לֶעָרִים Sam. ut rei historiæ consulet, facilioremque elliciat lectionem, hæc dat, ואת העם העביד אתו לעברים, conspirante LXX virali, *καὶ τὸν λαὸν κατεδουλώσατο αὐτῷ εἰς παῖδας*. Gen. xlix. 22. בָּנוֹת צָעֲדָה עָלַי שׁוּר, *Filiæ*, i. e. *ramusculi* (ejus) *discursitârunt supra murum* (i. e. limitaneum,) concordantiâ inter בָּנוֹת et צָעֲדָה omninò logicâ.† Sam. frigidissimè בני צעירי עלי שור, quæ et secutæ sunt versiones Samaritica et *τῶ* Abusaid: "*Filius meus parvus*, sc. *ascendit murum*." —Sed plura dare non vacat.

XI. *Classis quarta*, cui et *quinta* adjungatur, eas respicit lectiones quæ è locis parallelis manus samariticas sive correctorias, sive supplementarias passæ sunt. Gen. xviii. 29, 30. pro לֹא אֶעֱשֶׂה, Sam. e. vers. 28, 31, 32. dat לא אַשְׁחִית. Gen. xxxvii. 4. בניו pro אחיו coll. v. 3, &c. Ex additamentis minoribus sunt. Gen. i. 15. ubi è vers. 17. inseruntur verba, *ad lucendum super terram*, ib. xi. 8. è vers. 4. *et turrim*, &c. Majorum additamentorum copia dabunt loca hæc sequentia: Exod. vi. 9. (conf. xiv. 12.) vii. 18. (conf. vers. 16—18.) ib. 29. (conf. 26—28.) viii. 19. (conf. 16—19.) ix. 19; x. 3; xi. 3. (conf. iv. 22, 23.) xviii. 25. (conf. Deut. i. 9—18.) xx. 17. (conf. Deut. xxvii. 2, 5—7.) ib. 21. (conf. Deut. v. 26, 28; xviii. 18—22. v. 27, 28.) Adde Num. iv. 14; x. 10; xii. 16; xiii. 33; xx. 13; xxi. 11, 12, 20; xxvii. 23; xxxi. 24; Deut. ii. 7; iv. 21; x. 6. quæ omnia in Appendice Bibliorum nostrorum accuratè adnotata reperientur.

XII. Horum supplementorum causæ variè à variis explicantur, ita ut nimis esset hîc omnes recensere. Loco commentationis ea fuisse addita, ut, sc. scriptura scripturâ, uti nostri loqui amant, meliùs illustraretur, humanis omnibus sepositis, quantum fieri potuit, viribus, nobis verisimillimum videtur: et fortassis, margine primò adnotata, postea Textui ab officiosioribus scribis illata fuerunt.

XIII. *Classis sexta*, ea continet loca, "in quibus sensus quidem verborum planus et perspicuus est, sententia autem aliquid offensionis habuisse videtur Criticis samaritanis, ex suo ubique sensu, suisque commentis et conjecturis vetera documenta judicantibus." Huc Vir doctus quæstiones illas Chronologicas, omnibus Ecclesiæ sæculis famosas valdéque ventilatas, retrahit, quas ille acutè, ut solet, ita solvere pergit. "Primo loco," inquit, "ponimus duo patriarcharum stemmata, alterum antediluvianum (Gen. v.), alterum postdiluvianum (Gen. xi. 10—26.), in quibus adornandis eo processerunt audaciæ concinnatores alexandrini et samaritani, ut unusquisque textum hebræum secundum commenta sua physiologica et chronologica, modo similia, modo sibi invicem opposita, refingere non dubitaverit. Leges, quas secuti sunt, paucis exponere lubet, quo facto novâ hâc lectione fusius refutandâ supersedere poterimus.‡

XIV. "In genealogiâ *antediluvianâ*," inquit, "interpres *Alexandrinus* cum textu hebræo consentit in summâ annorum, quos vixisse dicuntur patriarchæ, in iis dispescendis ab eo dissentit. Sumit enim ille, hac temporis periodo neminem sobolem procreare potuisse ante centesimum et quinquagesimum ætatis annum, et ubicunque textus hebræus filium primogenitum natum esse ponit ante hunc terminum, centum annos adjicit, quos reliquo vitæ tempori detrahit. Sic ex textu hebræo Adamus ætatis anno CXXX. filium primogenitum genuit, cum quo vixit alios annos DCCC; ex versione Alexandrinâ filium genuit anno ætatis CCXXX. vixitque pósthac annos DCC. E contrario ponit Sam. neminem *post* centesimum quinquagesimum vitæ annum filium genuisse *πρωτότοκον*, atque ad hanc legem stemmatis nostri annos dispescit. Intactos igitur relinquit quinque priorum patriarcharum chronologiam, in Jaredo initium facit corrigendi, eique, cum anno ætatis 162 filium genuisse dicatur, centum annos detrahit; idem facit in Methusala atque Lamecho. Præterea non id agit, ut in summâ

* Videantur de his locutionibus Prælect. nost. Heb. pp. 311, 312. † Ib. p. 290, &c.

‡ Eichhorn's Einleitung in das Alte Test. § 389.

vitæ annorum consentiat cum textu hebræo, sed ut æquabile sit vitæ humanæ decrementum et filius nunquam patre longævior sit. Unum excipit Henochum, tanquam maturius rebus humanis ereptum. Hoc consilio Jaredi, Methusalæ, et Lamechi annis magnam partem detrahit."

XV. "In genealogia" *postdiluvianâ*, pergit ille, "alias rationes sequitur utraque textus recensio. *Samaritanus* neminem ponit quinquagenario minorem liberos genuisse et contrarium faciens ejus, quod in genealogiâ antediluvianâ tentaverat, Arphaxado aliisque centum, Nahoro quinquaginta annos addit, antequam patres fierent. Deinde, ut supra, neminem vult patre grandæviorem fieri. Ebero igitur sexaginta annos detrahit. De lento ac æquabili vitæ decremento non laborat, quod nunc quidem facit interpres *Alexandrinus*, id etiam agens, ne illa nova aliquando videretur capere incrementa. Denique ne ante centesimum ætatis annum patriarchæ ab Arphaxado ad Therachum sobolem procrearent, cautum est lectione codicis Vaticani, à quâ tamen subindè discedit codex Alexandrinus."

XVI. Hæc, quàmvis plura quàm par est, exscribere decrevi, quia quæstionem diu multumque vexatam novâ quas luce collustrare videantur. Verendum tamen, ut omnia Hebraïca omninò sint in his absoluta: quæstionem enimverò hanc satis salebrosam Chronologis tractandam relinquo.

XVII. Alius, est locus chronologicus, à Samaritano haud malè illustratus; Exod. sc. xii. 40. Ita enim Sam. ומושב בני ישראל ואבותם אשר ישבו בארץ כנען ובארץ מצרים וגו׳. *Et habitatio filiorum Israel, et Patrum eorum, qui habitârunt* in *terrâ Canaan, et in terrâ Ægypti, &c.* Οἱ ὸ, hoc modo, ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν (cod. Alex. αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν) ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, κ. τ. λ.—In hâc tuendâ glossâ, multus est Abu 'l Phath, Chronici Samaritani Compilator. Ita enim se expedit. فهذه هي الجملة المعينة الي حين خروج ابراهيم عليه السلام من حران ومن خروجه من حران الي خروج بني اسرائيل من مصر وهي مدة مقامتهم بارض كنعان وبارض مصر اربعه ماية سنة وثلثون سنة لقوله تعالي בני ישראל אשר ישבו בארץ כנען ובארץ מצרים ים שנה וארבע מאות שנה · وماوت شنه لا كما في نسخة المخالفين فان حذف عندهم و ותם · وحذف بارض كنعن ودعتهم الغروره الي ذلك والدليل علي صحة ما عندنا ان مقامهم بارض كنعان كان نصف المدة وهو مايتان سنة وخمس عشر سنة تفصيلها مستفاد من الشرع الشريف لان ابرهيم عليه السلام لما رزق اسحاق كان عمره ماية سنة ومن اسحق عليه السلام الي مولد يعقوب عليه السلام ستون سنة ومن يعقوب عليه السلام الي دخوله الي مصر ماية سنة وثلاثون سنة فهذه هي نصف المدة المعينه ومدة مقامهم بارض مصر لتمة المدة الجملة المعينه في الشرع الشريف مايتان سنة وخمس عشر سنه وهذا لا يلزمو المخالفين به اذ هو نقل طايفتنا لكن فساد ما جا عندهم ظاهر لا خفاية وليس هذا المكان الرد عليهم وتفصيل المدة المذكوره من وجه اخر وهو ما وجد في التاريخ ان ابرهيم عليه السلام خروجه من حران الي مولد اسحق عليه السلام خمس وعشرين سنة ومن اسحق الي مولد يعقوب عليه السلام ستون سنة ومن يعقوب الي ת״ק · سبعة وثمانون سنة ومن ת״ק · الي א״ר · اثنان وخمسون سنة ومن א״ר · الي عمرم احد وسبعون سنه ومن عمرم الي مولد السيد الرسول موسي عليه افضل السلام خمس وخمسون سنه ومن مولده سلام الاه عليه الي ان اتي بالمعجزات ثمانون سنه فصحة هذه الجمله وهي الاربع ماية سنة وثلثون سنة

i. e. "Hæc est summa constituta ad tempus exitûs Abrahami (cujus misereatur Deus) è Haran, et ab exitu ejus è Haran ad exitum Filiorum Israel è terrâ Ægypti, hoc est, tempus stationis eorum in terrâ Canaan, et in terrâ Ægypti ccccxxx. annos: secundùm verbum Dei (magnificetur), ומושב בני ישראל ואבותם אשר ישבו בארץ כנען ובארץ מצרים שלשים שנה וארבע מאות שנה. Non ut in exemplari adversariorum: excisa est enim apud eos (vox) ואבותם; excisæ sunt quoque בארץ כנען, et eorum ad hæc vendicatio insulsa est. Demonstrationi est præterea quod veritas apud nos est, quod statio eorum (Israelitarum sc.) in terrâ Canaan dimidium (totius) temporis sit, h. e. ccxv. annos: cujus explanatio è lege sanctâ, satis erit. Abrahamus, igitur, cum Isaacum procreâsset, C vixerat annos. Ab Isaaco (nato) ad natales Jacobi lx. sunt anni: à Jacobo (nato) ad introitum ejus in Ægyptum cxxx. anni: et hoc dimidium est temporis (totius) constituti.* Tempus, itaque habitationis eorum in terrâ Ægypti, ad complementum usque temporis constituti in lege sanctâ, est annorum ccxv. Neque hoc impugnent adversarii, eo quod traditio nostratium est. Sed eorum iniquitas aperta est, non celata. Hic autem non est locus eorum confutandi. Explanatio, præterea, temporis suprà memorati alio modo, in Libro quodam annalium facta, ita reperitur: Quod ad Abrahamum attinet, ab exitu ejus è Haran ad Isaacum natum, annorum est xxv. Ab Isaaco nato ad Jacobum annorum lx. A Jacobo nato ad Levi annorum lxxxvii. A Levi nato ad Kohath. lii. sunt anni: à Kohath ad Amram, lxxi. anni. Ab Amram ad Mosen natum Prophetum illum honoratum lv. anni: et à natalitiis ejus ad miracula ejus patrata anni lxxx. vera est igitur summa tota, quæ est ccccxxx. annorum."—Hæc dare operæ pretium existimavi, non ut interpolationes istiusmodi stabilirem, sed ut eorum in nonnullis utilitatem Tyronum ab oculos ponam.

XVIII. Sed alii quæstioni se quoque implicat Doctiss. Gesenius: "Quomodo enim," inquit, "tibi persuadebis, septuaginta virorum, qui cum Jacobo in Ægyptum venerant, sobolem ccxv. annorum spatio ad sexcenta millia accrescere potuisse, quæ cum Mose ex Ægypto profecta esse dicuntur?" (p. 50.) Similem hâc de re dubitandi occasionem præbuit hic locus Historico Mahumetico gravissimo Ibn Khaldun, ut videatur apud celeb. de Sacy.† Utrique responderim: nulla hîc mihi difficultas credendi suboritur, has præcipuè ab causas: Israelitæ in Ægypto versantes agro certè optimo, libertate plenâ, privilegiis summis, fruebantur: et hoc cc. fortassè annorum spatio, donec Rex iste ferox eos in servitutem durissimam redegit. Potuerunt igitur eo temporis spatio ad hos numeros omninò excrevisse. Scriptura præterea sacra nos certiores facit, eos hanc ob causam in servitutem fuisse redactos, quippe qui

* Sed, ut hoc in omnibus quadret, necessè erit sumere, promissionem antè natum Isaacum xxv. annos fuisse patefactam, uti benè observavit Capellus ad hunc locum. Additis igitur 25, 60, 130 summa erit, 215. Notat præterea Capellus. "Quum itaque Ex. xii. 40. dicitur ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים, non debet reddi (uti a nonnullis fit interpretibus) *Habitatio autem filiorum Israelis qua* (vel *secundùm quàm*) *habitarunt* in Ægypto, fuit annorum 430; sed debet reddi, *Peregrinatio autem filiorum Israelis qui habitarunt in Ægypto, fuerat annorum* 430. Nam תּוֹשָׁב significat *inquilinum, peregrinum*, qui habitat in sede non suâ: Ergo et מוֹשָׁב potest reddi *peregrinatio, incolatus*. Peregrinatio autem illa, addit ille, incohanda est (uti suprà ostendimus) ab exitu Abrahami ex Ur Chaldæorum, tum enim cœpit peregrinari è patriâ, atque in eo omnes ejus posteri, qui vi divinæ promissionis in lumbis ejus erant."

† Chrest. Arab. de Sacy. Tom. i. p. 394. Ed. 1826.

omnibus terrorem injiciebant, Ægyptum eos penitùs impleturos, sibique metipsis, siqua oriretur occasio, subjecturos. Dolendum sanè Virum, dotibus tantis doctrinâque instructum, in hujusmodi cavillandi scopulos tam sæpè incidisse.

XIX. "*Septimum genus*," pergit noster, "versatur in *iis vocabulis* vocabulorumque formis, in quibus veterem castumque τῆς Πενταπεύχου *Hebraismum ad suæ gentis idioma attemperarunt scribæ Samaritani*.... Cæterum hæc textus hebræi adulteratio egregiè illustratur exemplo epistolarum, quas recentiori memoria Samaritani dederunt ad Ludolfum, Scaligerum al.; stylo usi hebræo quidem, sed Chaldaismis, *Samaritanismis*, imo et Arabismis tincto; nec adeò mirum, scribas samaritanos, quos malè cautos esse ubique cognovimus, idioma suum recentius veteri etiam documento sacro intulisse." Harum lectionum varietates in literarum אהחוע seu gutturalium permutatione consistit: quarum messem sat amplam dat vir Doctissimus: at cum omnes in Appendice nostra reperiantur, labore eas exscribendi supersedemus.

XX. Varietates sunt aliæ è pronominum formis Samaritis peculiaribus, אתי tu sc. fem. Gen. xii. 12, &c. אתן vos. Gen. xxxi. 6. suffixa אך (pro ך) Gen. xxii. 2, &c. ך pro ך. Gen. iii. 16. ה pro ו, Deut. xxxii. 3. ים pro ם. Gen. vi. 13. ימו pro מו, Exod. xv. 9. In præterito verborum flectendo, ut צחקתי pro צחקת. Gen. xviii. 16. Formâ קמיל Chaldaïcâ pro קמול, ut Gen. xli. 23. —In usu conjugationis Aphel pro Hebraïca Hiphil; ut אנכרתי pro הוסרתי Exod. xx. 24, &c.

XXI. Octava classis eas immutationes spectat, quas Samaritæ, ne Theologiæ ipsorum offendiculo essent, creârunt, cujusmodi sunt, Gen. xx. 13; xxxi. 53; xxxv. 7. &c. ubi verbum plurale in Hebraico textu cum voce אלהים jungitur, ii in singulare mutârunt. Videantur quoque Exod. xv. 3; xxii. 9; Deut. xxix. 19; xxxii. 18; Num. xxii. 20; xxiii. 4—6; xxv. 4, 5. Et ne sub maledictionem cadant viri Deo ministrantes, habemus Gen. xlix. 7. pro ארור אפם, Sam. אריר אפם: vide quoque Deut. xxxiii. 12. et Deut. xxvii. 4. coll. cum. Exod. xx. 17. Deut. v. 21. ubi Samarita גריזים pro עיבל in textu posuit. Ad hanc ultimam interpolationem necessè erit quædam adnotare; quum locus, ut mihi quidem videtur, haud benè intellectus fraudi Kennicotto nostro esse potuerit, nimis sudanti Samaritanas lectiones tueri. Locus in Deut. xxvii. 4. ita se habet בְּהַר עֵיבָל תָּקִימוּ אֶת־הָאֲבָנִים הָאֵלֶּה אֲשֶׁר אָנֹכִי מְצַוֶּה אֶתְכֶם הַיּוֹם בְּהַר עֵיבָל וגו׳. *Erigite lapides eos, de quibus vobis hodie præcipio in montem Ebal:* sive, ut Hieronymus vertit, "*Erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Ebal.*" In vers. 12, additur, "*Hi stabunt ad benedicendum populo* עַל־הַר גְּרִזִים *super montem Gerizim, Jordane transmisso: Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph, et Benjamin.*" 13. "*Et è regione isti stabunt ad maledicendum* בְּהַר עֵיבָל *in monte* (legerim in montem) *Hebal: Reuben, Gad, et Aser, et Zabulon, Dan et Nephthali.*" 14. "*Et pronuntiabunt Levitæ, &c.*" In Joshua viii. 30. "*Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte* בְּהַר *Hebal:*" et vers. 33. "*Omnis autem populus, et majores natu, ducesque ac judices stabant ex utraque parte arcæ, in conspectu sacerdotum, qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita et indigena. Media pars eorum* JUXTA *montem Garizim, et media* JUXTA *montem Hebal, &c.*"

XXII. Collatis igitur his locis, alea dubitationis vix restare poterit, quin altare ita ut arca fœderis, non super alterutro horum montium, verum in valle, fuerit collocatum, Levitis ex unâ parte, eaque τῶ Garizim fortassis stantibus; tribubusque cæteris sex è regione eorum, haud procul à radicibus τῶ Hebal. Hinc Levitæ, montem Hebal ex adverso prospicientes, maledictiones suas proferebant: monte illo sterili ac horrido commentationis locum suppeditante; ex alterâ verò parte, Garizim, benedictiones prolatas, virore atque fertilitate suâ collustrabat. Josephus, præterea (Antiq. Lib. v. 1.) ita de hâc re loquitur: *καὶ χωρήσας ἐντεῦθεν ἐπὶ Σικίμων σὺν ἅπαντι τῷ λαῷ, βωμόν τε ἵτησιν ὅπῃ προεῖπε Μωϋσῆς· καὶ νείμας τὴν στρατειὰν, ἐπὶ μὲν τῷ Γαριζεῖ ὄρει τὴν ἡμίσειαν ἵτησιν, ἐπὶ δὲ τῷ Γιβάλῳ τὴν ἡμίσειαν, ἐν ᾧ καὶ ὁ βωμός ἐστι, καὶ τὸ Λευιτικὸν καὶ τοὺς Ἱερέας.* "Atque indè cum omni populo Sicima profectus, et altare statuit ubi Moyses præceperat; et dein exercitu diviso, in monte quidem Garizi dimidium ejus constituit, in Gibalo vero dimidium, in quo et altare est, et Levitas et Sacerdotes." Et rursùs (lib. iv. cap. viii. § 44.) "Aram extruere jussit...inter montes duos (*μεταξὺ δυοιν ορουν*) Garizæo ad dextram posito, ad lævam Gibalo."* Ex ultimo hoc loco satis clarè patet, Josephum ita Mosis verba accepisse, ut altare in valle exstructum fuisse crederet: ex priore *ὁ βωμὸς* sive altare, eâdem à parte esse ac Levitas et Sacerdotes; ii verò propius ad Garizim stabant; vel si ad Hebal, tum, vox *επι* significabit *versus, ex adverso*, aut quid simile, quod mihi magis arridet: et ad phrasin Hebraïcam אֵלֹמוֹל in Jos. viii. 33. exactè quadrabit. Locutio בְּהַר עֵיבָל in Deut. xxvii. 4. non *in monte* significabit, verum *propè* vel *juxta montem*: et ita in locis quamplurimis usurpatur particula ב.† Si res igitur ita se habuerit, controversia percelebris hæcce, ex ignorantiâ utrimque pendebat.‡—Et utinam sanè complures hujusmodi controversiæ Ecclesiam nunquam vexassent! Neque mons Ebal neque Garizim, ut mea quidem fert sententia, gloriam hinc perquirere potest. Fanum in Shilo equidem, et fortassis in ipsissimo loco altaris longo post tempore exstabat: quod et nomine Elon More insignitum est. Sed, de montis utriusvis sanctitate ante tempora Sabalteti, nemo audiverit, nisi qui malè sanctas literas tractârint, uti suprà ostensum est. Hæc Kennicotti dissertationi, hoc de loco, satis fiat.

## SECTIO II.

*De Versione Samaritico-Chaldaïcâ, ejusque sequacibus, Græcâ, et Arabicâ.*

I. Post iteratas curas Doctissimi Morini, Castelli, Hottingeri, et nuperrimè, Georgii Benedicti Winer, Professoris celeb. Erlangensis, in Pentateuchum Samaritico-Chaldaïcum,§ Illustris. Baronis S. de Sacy, in ejus versionem Arabicam τῶ Abu Saïd adscriptum, vix quicquam nobis de iis dicendum restabit: præsertim, cùm Biblia nostra earum exemplaria non complectantur. Atqui, quum earum notitia crisi literarum sanctarum penitiori haud vulgari esse usui videatur, nostri erit de indole earum paucula dare.

II. De ætate vel etiam Auctore hujus versionis, nihil exploratum adhùc lucem vidit. Nonnulli eam ad Ezræ, alii ad

---

* Dissertatio Kennicotti super ratione Textus Hebræi, Tom. ii. p. 63.

† Videsis Nold. Concord. Part. Edit. 1734, p. 142.

‡ Multus est Kennicottus in corrigendo translationem Commentariorum Ephremi Syri Latinam Romæ factam, ad Deut. xxvii. 13. eo quod *Garizim* pro *Ebal* perperàm substituerat. Est equidem Translatoris lapsus satis infelix: quo tamen correcto, Syrus cum Textu Masorethico, non cum Samaritico, penitùs consentiet! Dissertation the second, &c. Oxford, 1759, p. 34.—Syrus quidam, qui notulas suas ad margines Codices MS. Parisiensis Pentateuchi Syriaci, adjecit, hæc, sec. Cel. B. de Sacy, hac de re, habet; "Si les bénédictions dont il est parlé ici devoient être données sur mont Garizim, et les malédictions prononcées sur le mont Ebal, comment pouvoit-il être convenable d'ordonner que le autel fut élevé sur le mont Ebal? Ne convenoit-il pas beaucop mieux de l'élever sur le mont Garizim, comme c'étoit là que les bénédictions devoient être prononcées, et comme on le lit dans l'exemplaire Samaritain où il est ecrit: Vous dresserez ces pierres sur le mont Garizim, et vous y éleverez un autel." Eichhornis Allgemeine Bibliothek viii. Band. p. 604—5. Hujusmodi notulas omnes cel. de Sacy, nescio quâ auctoritate, ad Jacobum Edessenum refert, cum tamen Librarius quivis eas adjicere potuerit; et quin adjecerit nullus dubito.

§ De versionis Pentateuchi Samaritanæ indole Dissertationem Critico-exegeticam. Scripsit Georgius Benedictus Winer, Lipsiæ 1817. Videantur præterea Waltoni Proleg. xi. § 20. Histoire critique de Vieux Testament par R. Simon Liv. II. chap. 17. Edit. 1684, p. 295. Carpzovii Critica Sacra, P. II. c. iv. § iv. p. 614.

Sanballati Manassisque ætatem, alii demùm ad Ecclesiæ nascentis, vel etiam ad recentiora tempora, referunt. Auctorem Neoterici Samaritani Nathanielem sive Deodatum quendam, nullâ veritatis specie suffulti, faciunt. Lingua quâ conscripta est, id genus Chaldaïca est, quæ ad Hebraïcam aliquanto propiùs accedat, Arabismis hic indè nonnullis permista, quæ interpolatorias fortassis suboleant manus. Interpretationis leges, haud omninò in omnibus commendatissimas, sibi Translator proposuisse videtur. In plerisque Textum Hebraïcum Samaritanæ editionis *κατὰ ποδὰ* sequitur; in nonnullis, hoc relicto, in Castra Masorethica Judaïca se recipit: in multis præterea errat. Sed quùm multa habet, quæ bonæ frugi Theologis esse possunt, dignissima est, ut ejus mens penitiùs rimaretur. Pauca igitur, in primis dabimus commata, ut ejus cum Textu Hebraïco convenientia clariùs perspiciatur; deindè nonnullos ejus anfractus adnotabimus, ex operibus Hottingeri et Winer suprà laudatis, depromtos.

## SECTIO III.

I. *Collatio versuum quorundam textûs Hebraïci editionis Samaritanæ, cum versione Chaldaïco-Samaritică, Chaldaïcâ Onkelosi, et Arabicâ Abu Saïd.*

Num xxii. vv. 2, 5.

| | |
|---|---|
| וירא בלק בן צפור את כל אשר עשה ישראל לאמרי : | *Heb. Sam.* |
| וחזא בלק בר צפור ית כל דעבד ישראל לאמוראי : | *Chald. Sam.* |
| ونظر بلق بن عصفور كل ما صنع اسرابيل بالاموريّ | *Arab. Sam.* |
| וחזא בלק בר צפור ית כל די עבד ישראל לאמוראי : | *Chald. Onk.* |
| ויגר מואב מפני העם כאד כי רב הוא ויקץ | *Heb. Sam.* |
| ויגר מואב מקדם עמה שריר הלא סגי הוא ואציק | *Chald. Sam.* |
| فجزع ماب من قبل الشعب جدّا اذ عظيم هو وضجر | *Arab. Sam.* |
| ודחיל מואבאה מן קדם עמא לחדא ארי סגי הוא ושקת | *Chald. Onk.* |
| מואב מפני בני ישראל : ויאמר מואב אל זקני מדין | *Heb. Sam.* |
| מואב מקדם בני ישראל : ואמר מואב לסהדי מדין | *Chald. Sam.* |
| ماب من قبل بني اسرابيل وقال ماب لشيوخ مديين | *Arab. Sam.* |
| למואבאי מן קדם בני ישראל : ואמר מואב לסבי מדין | *Chald. Onk.* |
| עתה ילחך הקהל הזה את כל סביבותינו כלחך השור | *Heb. Sam.* |
| כדו ילחך קהלה הדן ית כל סחרתינן כלחך תורה | *Chald. Sam.* |
| الآن يلعق الشعب هذا كل اطرافنا كلعق الثور. | *Arab. Sam.* |
| כען ישיצון קהלא ית כל סחרנוא כמא דמלחיך תורא | *Chald. Onk.* |
| את ירק השדה ובלק בן צפור מלך למואב בעת | *Heb. Sam.* |
| ית ירק ברה ובלק בר צפור מלך למואב באזבנתה | *Chald. Sam.* |
| حضير الصحراء وبلق بن عصفور ملك لماب في تلك | *Arab. Sam.* |
| ית ירוקא דחקלא ובלק בר צפור מלכא למואב בעדנא | *Chald. Onk.* |
| והנה : וישלח מלאכים אל בלעם בן בעור פתרה אשר על | *Heb. Sam.* |
| והוא ושלח שלחים לות בלעם בר בעור פשורה דעל | *Chald. Sam.* |
| الدفعة فارسل رسلا الي بلعام بن بعور المفسر الذي علي | *Arab. Sam.* |
| והא : ושלח אזדן לות בלעם בר בעור לפתור ארם דיל | *Chald. Onk.* |

* Histoire de l'Acad. des Inscriptions. Tome xlix. p. 101.

† In codice Pentateuchi Syriaci Ridleiano, nunc in Collegio Novo apud Oxonienses servato, legitur hæc vox ﺟﻌﻮﺯ i. e. *Pashura*, ut nomen scilicet

| | |
|---|---|
| המהר ארץ בני עמון לקרא לו לאמר הן עם יצא | *Heb. Sam.* |
| נהרה ארע בני עמון למזמק לה למימר הן עם נפק | *Chald. Sam.* |
| النهر ارض بنى عمّان لاستدعاء به قولا ان شعبا خرج | *Arab. Sam.* |
| פרת ארע בני עמיה למקרי ליה למימר הא עמא נפק | *Chald. Onk.* |
| ממצרים והנה כסה את עין הארץ והוא ישב ממולי : | *Heb. Sam.* |
| ממצרים והא כסה ית חזות ארעה והוא יתיב מלקבלי : | *Chald. Sam.* |
| من مصر وهوذا غطي منظر الارض وهو مقيم مقابلي | *Arab. Sam.* |
| ממצרים הא חפא ית עין שמשא דארעא והוא שרי מלקבלי : | *Chald. Onk.* |

II. Nemo non, ut mihi quidem videtur, poterit quin arctam inter has omnes, tum verbis tum phrasibus, convenientiam miretur, exceptis omissione unâ glossisque duabus in Chaldaïcâ Onkelosi, quæ casu evenire omninò potuerunt. Illud Abu Saïdi عصفور menda est proculdubio pro صفور. Arabes enim Aleph prostethicam, ut aiunt, valdè amant: hinc primò è صفور facta esset اصفور, et dein, varietate haud insolenne apud eos, عصفور.

In com. 5. المفسر *Interpres* vitiosa τῆς פשורה est versio, perperàm enim vocem sumpsit Abu Saïdus, ceu nomen appellativum, cum, ut alii volunt, est nomen proprium. Ill. de Sacy, ad hunc locum adnotat. "Abou-Saïd, au lieu de prendre *Péthor* pour le nom d'une ville, comme ont fait les Septante, Onkélos, Saadias, et le traducteur Arabe d'Erpenius, l'a pris pour un nom appellatif, comme ont fait aussi l'auteur de la Vulgate, *le traducteur Syrien et l'interprète Samaritain.*" * Regesserim: potest equidem Syrum ita accipi ac si ﺟﻌﻮﺯ *interpretem* sonare voluerit, et ita locum Latinè verterunt Polyglottorum Editores: at et nomen loci item esse potest, et quin ita vox accipi debeat nullus dabito.† Idem sanè dicendum de Interprete Samaritano: et iidem Editores vocem ceu nomen loci acceperunt: et, si res ita se habet, Interpres hicce facit cum Textu Hebræo Masorethico, non cum Editione Samaritică; hæc namque dat פתורה, illa פתורה.

III. Alia habet cel. de Sacy de voce عمّان.—"Qu'il a lu, avec le texte," inquit ille, "et la version Samaritaine, la version Syriaque et la Vulgate, עמון *Ammon*, au lieu de עמו *son peuple*, leçon qu'il est difficile de ne pas adopter, quoiqu'elle ait contre l'autorité des Septante." Fallitur tamen vir doctus: عمّان enim, non est עמון Hebræorum, verum nomen oppidi propè sinum Persicum in Arabiâ felice siti. Crediderim Abu Saïdum potiùs scripsisse عمون cum Arabe Erpeniano, et ejus interpolatorem, similitudine nominis deceptum, rescripsisse عمّان *Ammàn;* quod et in versione Saadiæ Haggaon in Gen. xix. 38. factum reperimus. Neque ei adstipulari possum asserenti, hanc lectionem commendabilem esse. Speciosa est, equidem, et sanè id genus, cujus multas textui intulerunt Correctores sive Corruptores ii Samaritani, uti suprà observatum: quod, et Librarii judaïci nonnulli, hîc loci etiam fecerunt. Auctoritas præterea τῶν ὁ in hujusmodi locis, permagni, ni valdè fallor, haberi debet, quippe qui semet nonnunquam nimis proclives in Glossematis cudendis præbeant. Habemus præterea, Pseudo-Jonathanem, necnon Tusium, quorum M. de Sacy non meminit, contra Samaritanos testantes. Non possum, igitur, quin lapsum criticum viri celeberrimi ita ratiocinantis, et suum

loci, non ﺟﻌﻮﺯ *interpres*. Errorem igitur Editorum Parisiensium suum fecit Baro clarissimus. De hoc codice optimæ sanè notæ, vide tractatum Ridleii de Versionibus Syriacis. Collationem ejus decem abhinc annis institui, et ad finem perduxi.

auctorem, uti mihi videtur, Samariticum nimii facientis, demirer.

IV. Atenimverò, quamvis commata suprà data ad invicem, et cum Textu archetypo, satis amicè conspirent, id tamen in omnibus frustrà quæret Lector eruditus: sed, quùm propositi nostri non est omnia recensere, satis erit judicium Hottingeri hâc de re proferre, qui, si quis alius, accuratissimè hanc materiem tractavit, additis subindè Doctissimi Winer adnotatis. "Samariticæ," inquit Magnus Hottingerus, (in Methurgeman. p. 113.) "Versionis considerabimus, tàm nævos, quàm virtutes. Illi vel sunt GRAMMATICI vel LEXICI, vel RHETORICI, vel HISTORICI, vel THEOLOGICI. Grammatici spectantur tùm in ipsis ELEMENTIS, tùm in PARTIBUS ORATIONIS. In ELEMENTIS potissimum occurrit (a) *μετάθεσις*, et *μεταστοιχέωσις*; et hæc vel (b) consonarum, vel (c) vocalium; vel (d) utriusque Elementi simul." "Sic, e. g." pergit vir Doctus, quem ferè in omnibus *κατὰ ποδὰ* sequitur celeb. Winer. "Num. xi. v. 34. pro מנחה quies Sam. habet משרוחה castra metatio, q. l. מחנה. Alii tamen *quietem* notare volunt," ita Hottingerus. Hæc habet Winer, "Num. x. 33." (rectè) "verba לתור להם מנוחה *ad explorandam iis requiem*, h. e. locum ubi tutò quiescerent, Sam. vertit: למגש להון משרוחה *ut explorarent iis* (sibi) *castra*, locum," addit, "ubi castra ponerent. Vel permutavit iste, quod facile fieri potuit, מנוחה (מנחה) cum מחנה, vel ex instituto posuit משרוחה castra, quod hæc significari intelligeret." Hucusque crisin Hottingeri suam facit Winer: omissis ultimis illius verbis, quæ, uti mihi videtur, crisin meliorem fundunt: משרוחה enim, cum Chald. שרה collatum, *locum liberationis* sive *quietis* sonare potest: cui et Arabicum سرح omninò respondebit. Nullam propterea variationem hinc exsculpere debuit Hottingerus, nedùm optimam sententiam ejus omittere Winer.

V. In notis ad Lexicorum classem pertinentibus, hæc habet Hottingerus. (p. 119.) "Gen. 49. vers. 3. אוני Roboris mei: Sam. זבני Temporis mei, juxta Arab. أن et أوان Tempus." Hæc Winer. "Gen. xlix. 3. pro Hebr. ראשית אוני *principium roboris mei* in V. S. est: קדמאות זבני pr. *temporis mei*, quod egregiè vexavit *Morinum* et *Castellum*, quorum conjecturas repetere tædet. PUTAVERIM," pergit vir ingeniosus, "Samaritanum Hebr. אן eo sensu accepisse quo Arabibus frequenter dicitur أوان *Tempus*, &c." Sed neque hæc satis tuta: longè meliora dabit Castellus, quantumvis ea viro Doctissimo tædium creaverint. Sub radice זבן—"אוני," inquit, "Emptio. Literæ contractûs, emptionis, aut venditionis... *Quidam volunt* esse ex significatione אוני Gen. 49. 3. R. Sal. Hosea, 12. 8, &c." Tum, demùm, sub radice זבן Chald.... emit, redemit, &c. Syr. i. q. Chald.... أَحْنُا Venditio... res empta, &c.... SAM. זבן *Emit*... &c. זבן Pretium. Gen. 49. 3. (ubi verti potest acquisitio: Contractus, matrimonium,) v. אן Chal. &c." Verisimile igitur videtur, Samaritanum sententiam Judæorum quorundam fuisse sequutum, quod, et alibi factum Viri doctissimi demonstrârunt, at non vocem Hebraïcam sensu Arabico accepisse. Plura dari possunt, quæ industriæ Lectorum meritò relinquantur. Unum tantum adnotarem, magni in hâc quæstione momenti, cui et Simonium consentientem habeo: Viros sc. doctos, in hâc dialecto non esse eousque exercitatos, ut sententiam de ejus meritis in omnibus absolutissimam proferre queant. Multa sunt præterea loca, neque ab Hottingero neque à Winer adnotata, quæ considerationem accuratiorem omninò merentur; præsertim ea in quibus Versio Samaritică cum textu Masorethico hodierno, contra Hebræo-Samaritanum, facit.

VI. Pauca de crisi clariss. de Sacy in Textum versionemque Samariticam, suprà dedimus; et, nè fortè Tyrones, nomine Viri verè Principis in literis Arabicis inter Europæos, in errores adducantur, plura hic de ejus crisi in versionem Arabicam Abu Saïdi dare juvabit.

Quæ sequuntur malè ex Arabico fuisse translata, nullus dubito. (Histoire de l'Acad. des Inscrip. Tom. xlix. p. 53, 54.) Missam facio translationem τοῦ قابله الله, (rependat ei Deus) per "*quem Deus debitis tormentis excruciet*," à vocibus Arabicis omninò abhorrentem, quia nullius spectatâ re ipsâ est momenti, et ad hæc devenio. اقتضت المصحلة عندي ان اترجم هذه النسخة وما تقدمها وما قد اكتب بعدها ان شاء الله تعالي بعبارة صحيحة فصيحة, quæ ita versa dat vir celeb: "*Operæ pretium fore mihi visum est, si hocce exemplar transferendum suscepissem, illa quoque exemplaria, que jam præcesserunt et quæ postea, si per Deum licuerit, scripturus sum, interpretatione fideli et concinnâ.* In multis, ni fallor, hallucinatus est vir doctissimus: quare enim is, وما تقدمها وما قد اكتب بعدها, per. "*illa quoque exemplaria, quæ jam præcesserunt et postea... scripturus sum,*" reddiderit sanè non video, cùm Arabica ita se habent: Et quæ id (i. e. exemplar) præcesserunt, et quæcunque scripturus sum post illud: i. e. uti mihi videtur, Commentationes eas (الحواشي), quæ huic exemplari præfixæ leguntur, cæterasque quas ad finem ejus Scripturus sum, sensu styloque sincero dabo, ita ut nullus posteà in errores Saadiæ Judæi adducatur: Verbum illud تقدم, æque ac vox بعد sequens, non de tempore, sed de loco, sumi debet: quod quisque judicio libero præditus statim videbit. Corruet igitur omne illud (p. 55.) his verbis disputatum, "En fin, qu' Abou-Saïd, auteur de cette version, en avoit lui-même *ecrit plusieurs exemplaires*. Cette dernière circonstance *mérite d'être observée*, &c." quia, sc. nulla ejus mentio occurrit in textu Arabico suprà citato.

VII. Locus alter in eâdem præfatione malè intellectus hic est: واكثرها معانٍ غريبة quem M. de Sacy ita reddidit. "*Majorque pars earum magni est momenti:*" cum, معانٍ غريبة, *sensuum difficilium* omninò significationem dabunt. Locum præterea his multò obscuriorem, quo præfatio clauditur, malè is quoque reddidit. Locus ita impressus reperitur. اذا وقع من يعرف شيا من علم العربية بحيث يكون صحة صالحة ثم يشرط علي من يكتب من خطه مثل ذلك فان خرج عما شرطه فالله بيني وبينه وكفي بالله وكيلا. "Si quis," dat ille, "fuerit inventus, qui linguam Arabicam callens in aliquem inciderit cui fidem habere liceat, et cùm aliquo pactus fuerit (au lieu de علي من, peut être faut-il lire علي ان &c.) qui describat in ejus usum exemplar huic simile, is verò conditiones pacti non fideliter servaverit, Deus judex erit inter me et illum, &c."

VIII. Hæc sanè à mente Arabis longissimè vagantur: quæ ita exprimi liceat: "Quum inventus fuerit quisquam (amanuensis) linguæ Arabicæ peritus, eo fine ut servaretur (Versio) integra (et) intemerata, tum fœdus feriatur cum eo qui scriptione suâ descripturus est (exemplar) huic simile. Quod si is, id quod cum eo fuerit pactum, derelinquat, tum Deus inter me et illum (esto) Judex, &c. Nulla igitur urget necessitas, ut immutaretur lectio علي من in علي ان: constructionem veram, non vidit Vir doctissimus, atque ea propter invitus semet in errorem induci passus est.

IX. In paginis 56. et 57. ejusdem Libri, alteram hujus præfationis editionem Arabicam, sed valdè curtatam, habemus, in quâ nonnullæ item reperiuntur viri alioquin *κριτικωτάτου*, hallucinationes. In primus duobus lineis textûs Arabici, nulla mihi restat dubitatio, quin transpositio fuerit facta; ita ut textus restitui vertique debeat hoc modo. ترجمة التوراة المقدسة لابي (non ابي) البركات بن سعيد البصري السرياني غفر الله له

قال العبد المسكين الراجي عفو الله تعالي انني لما رايت ترجمة هذا الكتاب الشريف اصطلاحهم المفسودة باللغة العربية &c. Interpretatio legis sanctæ, auctore Abul Barakāt filio Saïdi Basrensis Syri, ei ejus remittat Deus peccata. Dixit servus pauper, sperans condonationem Dei (consequi), Qui magnificetur: quum vidissem translationem hujus libri optimi, (scatentem) locutionibus technicis eorum (judæorum sc.) corruptis, respectu Arabismi (purioris): plures præterea (nostratium) putantes, &c. Ita locum reddit M. de Sacy. "*Hæc ait servus pauper, veniam a Deo sperans, Abilberecat, filius Saïdi Basrensis Syrus cui condonet peccata Deus. Cum vidissem versionem libri hujus venerandi...corruptam in linguâ Arabicâ, dicentibus*, &c." Nihil ad transpositionem loci omnia turbantem adnoto: ad lacunam in ejus translatione punctis notatam, ita se expedit Vir doctiss: "واصطلاحهم n'est point Arabe; et quand même, en supposant une faute de copiste, on y substitueroit واصطلاحهم on n'en pourroit tirer aucun sens." De voce اصطلاح is fortassè sententiam suam nimis præceps tulisse autumaretur, quamvis ea in Lexicis haud compareat: at cum اصطلاحهم, quæ mihi vera esse lectio videtur, statuerit nullum hic dare sensum, nemo est qui dubitaret quin deceptus fuerit. Quæ sequuntur omnia clarè reddent: وذلك اخطي في ترجمة في قلة صحة الالفاظ خصوصا inquit, &c. "et ille (i. e. Judæus Saadias Haggaon) in interpretatione suâ lapsus sit, parum rectè vocibus translatis, peculiariter," &c. Quæ meliùs redderentur: *Et hic* (sc. Judæus supradictus) erravit in interpretando, vocibus præsertim (Arabicis) *parùm rectè acceptis.* Quî Vir doctus eò impingere potuerit, ut putaret vocabulum خصوصا necessariò debere periodum præcedere, et textum lacunosum indè effici crederet, sanè nescio. Utut tamen hæc se habuerit, certum est auctorem præfationis credidisse, Judæum hunc, vocabulis multis pravè sumptis, errâsse. De voce ipsâ اصطلاح habemus M. de Sacy posteà ita disserentem. (p. 82.) "اصطلاح nom d'action de اصطلح signifie *un terme technique* ou *didactique, une acceptation particulière à un certain art* ou *métier*, et aussi *un mot qui, par sa jonction avec d'autres mots, perd sa signification propre pour en une nouvelle.*" Notulam hancce dedit Vir celeb. ut locum in commentationibus Abu Saïdi occurrentem, ubi is Saadiam Haggaon et populum Judaïcum in universum, criminis linguâ Arabicâ abutendi insimulat, explanaret. Locus ita se habet: وان كان قد اصطلح اهل طائفة علي وضع هذه اللفظة للبقر دون الخنزير فهو من الممكن القريب لان منهم من استعملها مثله &c. "Mais si l'on donne pour raison que c'etoit une expression de convention parmi les siens, et qu'ils designoient par ce mot des bœufs, et non des pourceux, cela est beaucoup plus vraisemblable, car il y en a d' autres parmi eux qui l'ont employé dans le même sens" (pp. 80—1—3.). Quicunque demùm fuerit, qui secundam illam edidit præfationem, non truncatam, is verbi partem sc. واصلحهم, servavit: ita dormitans scripsit M. de Sacy: cum Auctor ipse de Judæorum corruptelis apertiùs locutus est: quod quidem et haud valdè obscurè innuit, in præfatione priore, ubi ita loquitur, لما رايت ترجمة . . . . مفسودة صورةً ومعني *Quum vidissem translationem... corruptam, tùm formâ tùm sensu.* In utroque loco, constructionem paulò rariorem, quod fortassè latuit M. de Sacy, habemus, i. e. in priore, &c. لما رايت ترجمةَ هذا الكتاب الشريف اصطلاحهم المفسودة, et in secundo لما رايت ترجمةً .... مفسودةً صورةً ومعني. In utrâque تمييز, ut aiunt Grammatici Arabici, loco prepositionis, bis ponitur.

X. Nec feliciùs se expedivit Vir doctissimus in notulis, quas de versionis indole dedit. Pauca tantum adnotabo. In p. 89. ejusdem tractatûs, hæc habemus de Gen. iii. v. 22. quem Abu Saïdus hoc modo Arabicè reddidit. ان الادم صار كالاصل منه معرفة الخير والشر Is ita Latinè, siquidem Latinum dici mereatur: "*Ecce Adam fuit sicut principium ex ipso per cognitionem boni et mali:* quæ, quid sibi voluerint, haud dixerit quisquam. Arabica autem ita se habent: *Verè Adamus factus est, sicut radix illa, ex quâ scientia boni ac mali* (est) i. e. sicut Deus ipse, si quid video. "Peut-être," addit M. de Sacy, "Abou-Saïd a-t-il suivi ici la version Samaritaine." Haud dixerim, peut-être, res sole meridiano est clarior. Ita textus Sam. ·אבד·שמשש·עבדא·ארזא·דדד·שמדא·בא. literis Hebraïcis, הן האדם היה כמקוף מנה חכמ מב ובש, ad literam, "*Ecce Adamus*, sive *Homo ille, factus est sicut* (res) *erecta*, (est) *ex eâ scientia boni ac mali.* Polyglottorum Editores perperàm reddidêrunt ut et ipse Castellus in annotationibus ad locum ostendit. Pergit M. de Sacy, "Ce qui neanmoins n'est pas certain, le sens du mot מקוף, (lit. Heb. מקוק) étant fort douteux." Atqui dixerim nemo, excepto Viro doctiss. hujusmodi dubitationis aleam videbit. Videantur notas locaque citata à clarissimo Castello. Vox tamen illa מקוק non occurrit. Sed, ut omnia luce clariora reddantur, hæc addit, M. de Sacy, "Je soupçonne," inquit ille, "qu'il faut lire מקוק (מקק), le ה Samaritain, se confondant aisément avec le א," (i. e. ם cum ו) et que ce mot signifie *excelsus, sublimis*, &c. At nulla est radix Samaritica מקק; neque Chaldaïca, *excelsus, sublimis*, aut quid simile significat. Voluit ille fortassè dicere אמק, מקק; invenitur enim apud Castellum שמאמק *Erectio*, &c. quod ab illâ radice derivari potest. Sed idem omninò sonat vox in textu recepta; et præterea crebriùs occurrit: cur, igitur, ad aliam radicem confugiamus, profectò non video.

XI. Paucis deindè interpositis, suam versionis Saadiæ Haggaon interpretationem, his verbis proponit M. de Sacy, هوذا ادم قد صار كواحد منه في معرفة الخير والشر. "*Ecce Adam factus est ex eo quasi singularis aliquis ob cognitionem boni et mali.*" Ita redderem: *Ecce Adamus jam factus est, sicut unus quivis ex quo* (omnia sc.), *per scientiam boni ac mali.* Valdè tamen suspicor particulam في, admissâ lectione منه, vel extrudi debere, et tum Abu-Saïdi versio cum Saadianâ amicissimè conspirabit, هوذا ادم قد صار كواحد فى معرفة الخير والشر. *Ecce Adamus factus est sicut unus* (is) *in scientiâ boni ac mali:* vel demùm (في) post معرفة collocandam, ita ut sensus esset, *Ecce Adamus factus est sicut unus* (is) *à quo scientia* (est) *in bono ac malo.* Persica Tusii hoc modo locum sistit: اينك آن ادم بود چون يكه ازو بدانستن نيك وبد, *Ecce homo iste factus est, sicut unicus ille, à seipso* (existens), *in scientiâ boni et mali.* Malè, me judice, reddidit Gravius in Polyglottis Londinensibus; neque locum intellexit, aut M. Paulus, aut doctiss. de Sacy. Certum est enim vocem يكه esse hîc definitè sumptam, et او in sensu خود, ut sæpè moris est apud Tusium. Deum igitur Persa *clarè* proponit, quod neque Abu-Saïdus neque Saadias Haggaon, apertè fecit: nisi lectio huic in textu Polyglottorum adscripta, sc. منّا *è nobis*, admittatur.

XII. Locus alter, Gen. vi. 3. sc. לֹא־יָדוֹן רוּחִי בָּאָדָם לְעֹלָם, materiem, tum Viro doctissimo tum רפ Winer, commentandi suppeditavit, in quo uterque contra Castellum amicè conveniunt, malè uti mihi videtur. Abu Saïdus ita locum reddit. لا ينغمد فيصي في

الناس ابدا, i. e. *Non recondetur effluxus meus in hominibus in æternum.* فيض enim, *effluxus, emanatio, donum sive gratia,* Dei significat. In codice uno, secundum M. de Sacy, قصدي i. e. *propositum meum,* reperitur. Versio Samaritica, habet ·ʌmz ·mʒʒʒv ·ɔʌɒʁɯ. Heb. lit. לית יקטן עובדי. quod ita redderem: *Non effundet se operatio mea,* &c. M. de Sacy putat verbum יקטן, in sensu Arabici لقق *connexuit,* &c. accipi debere: metathesi literarum ק et ט factâ, abjectâque נ finali: cui et calculum suum adjecit Doctissimus Winer. Longè tamen meliora dabit Castellus, quamvis is in omnibus non usque adeò felix evasit. In suis namque animadversionibus Samaritanis ad hunc locum factis, Samaritanum יקט idem quod Arab. لقا, fecit, (Gen. xxi. 5.) "*et quidni,*" inquit, "יקטן? *si quidem,*" subdit, "נ *prostheticon verbis nonnunquam affigitur, absque ullâ significationis mutatione; sic* קלטן *in hâc linguâ idem est quod* قلف: et برهن i. q. برغ: ملק i. q. ملخ, قحزن i. q. قحز *atque id genus alia non pauca.*" Omitto versionem ejus, quia falsam eam esse credo. His tamen positis, non nemo fortè sibi facilè suadebit, nullam esse necessitatem, cur ad Metathesin illam confugianus, cum verbum יקט sive יקטן, רפ لقا Arabico respondens, ad locum satis aptum semet præbeat. At, si ad verbum aliud Arabicum esset confugiendum, quare non ad ipsissimum لقف * Samaritico illi omnibus ferè numeris conveniens, significansque inter alia, *animum egit, cibum inglutivit,* &c.? Hoc enim sumpto, locus Samariticus ita reddi potest: *Non animum aget operatio mea.* —Dico *operatio,* quia *opus meum,* ut M. de Sacy, &c. habent, sensum nullum commodum præ se fert.

XIII. Facilè videbit quispiam, cur Samaritanus ita se in hujusmodi locis expedierit. Verebatur nimirùm, ne Deum hominibus similem humanis passionibus obnoxium, sive etiam membris constitutum, effingeret, atque adeò semetipsum omnium ludibrio exponeret. His igitur demptis, cæterisque, quæ, aut à Librariis indoctis, aut parum fidis textui infarta sunt, omnibus in propatulo erit, has versiones multum veræ literarum sanctarum scientiæ conferre posse, si quidem eæ à viris doctis, partium studio non captis, pensiculatè tractarentur. Et utinam sacræ literæ tandem aliquando apud nos ita floruerint, ut quis Doctus judicio limatiori præditus, has versiones è codicibus MSS. emendatas, versione novâ, sive Latinâ, sive vernaculâ, notisque criticis instructas, denuò juris publici faceret! Et multò sanè meliùs literarum Reipublicæ consuluisset Doctissimus de Sacy, si Versionem Abu Saïdi Arabicam integram cum Scholiis ejus, lectionis varietatibus, notis criticis, translationeque Latinâ, illustratam in lucem emisisset, quàm adhuc, subsecivis hisce fragmentis notulisque haud ita benè digestis edendis, sudando præstitit.

XIV. Dialectus, quâ scripta est Versio Chaldaïca Samaritica, partim è vocabulis Hebraïcis, partim è Chaldaïcis sive Syriacis, peculiariter tamen flexis, partim è Cuthæis aut Persicis, constare videtur. Hebraïca et Chaldaïca supervacaneum erit adnotare; hæc sequentia Cuthæa aut Persica esse videntur. מסקל *fœdus,* קמץ *avis,* חלם *frater,* קצם (Persic. fortè هيزم) *lignum,* עסם (si non Arab. هصم) *scivit,* עמל *vidit,* אסילה *ancilla* (si ea non est ipsa vox Latina, corrupta tamen) סלק *firmamentum,* idem fortassis quod Arab. فلكٌ.†

XV. De Græcâ Samaritanorum versione, nomine τῆ Σαμαρειτικοῦ a Patribus Scholiastisque Græcis toties laudatâ, varia statuerunt Viri docti. Ea, quæ plerisque verisimillima visa est opinio, in eo versatur, quod hæc à Versione Chaldaïcâ Samaritiçâ concinnata est. Loca quædam congessit Winer,‡ quæ hic exscribere non pigebit. "Gen. xlix. 24. το Σαμαρ. habet: εν βαθει: cepit nimirum iste interpres Samaritanum בעמקה (in fortitudine cf. Exod. xiv. 27; Num. xxiv. 12.) eo sensu, quo Hebræis dicitur עמק, עמוק; Gen. xliv. 5. Σαμ. πειρασμῳ πειραζει ἐν αὐτῳ. V. S. נסי יסי בה, hebr. נחש ינחש: xlix. 23. Σαμ. ἐμισησαν αὐτον κατοχοι μεριδων. V. Sam. מלמואה מסחני מלנים: Exod. xxxii. 18. Σαμ. φωνη ἁμαρτιων. V. S. קול עונים, hebr. ענות; Lev. viii. 15. Σαμ. ἱλατευσεν. V. S. סלח, hebr. יחטא; xxvi. 24. ἐμφιλονεικως. V. S. נמרי, hebr. בקרי; Num. vii. 3. Σαμ. ἁμαξ ὑναμεως. V. S. עגלן חל, hebr. עגלת צב; xxix. 1. Σαμ. ἡμερα ἀκουστη. V. S. יומה אשמעה, hebr. יום תרועה; xxxi. 26. Σαμ. το τελος. V. S. סכום, hebr. ראש, &c."§

---

* Kamusi Auctor explicat لَقَفَهُ كسمع لَقْفًا ولقفانًا محركة تناوله بسرعة والتلقيف بلع الطعام ورجل ثقف لقف... &c. i. e. لَقِفَ eâdem formâ ac سَمِعَ: nomen actionis لَقْف et لَقَفان motâ (literâ radicali mediâ) *rem impigrè accepit, et vir* (dicitur) *promptus agilis* لقف: et التلقيف *est deglutitio cibi,* &c.

† Carpzovius Crit. Sacr. p. 615.

‡ Tractatu suprà citato, p. 9.

§ Videantur præterea l'Histoire Critique du Vieux Test. par R. Simon. Liv. II. Chap. ix. p. 232, &c. Eichhornii Einleitung in das Alte Testament Erster Band. p. 415, &c. et Biblioth. Heb. Wolfii. p. 419, &c.

‖ Videsis Hor. Syr. à Wiseman. Romæ. 1828. p. 90, 112, 118.

# PROLEGOMENON III.

## SECTIO I.

### *De Versionibus Syriacis Arabicisque ex iis factis.*

I. SYRORUM Sanctarum Scripturarum Versiones sunt duæ; Antiquior altera, altera paulò recentior. Antiquior illa nomen τῆς *Peschito,* (ܦܫܝܛܬܐ) sive simplicis, sortita est. ‖ In Vetere Fœdere, hæc ex Archetypo Hebraïco textuque, omni procul dubio, Masorethico, translata est, cujus vestigia, exceptis additamentis Librariorum, pressiùs sequitur. Dictio ejus valdè est simplex, facilis, sincera: superstitionis, sive Judaïcæ sive Monasticæ sive etiam Metaphysicæ, adinventa nusquam sapit, Interpretemque solertissimum, eruditissimum, ubique prodit. Multæ equidem è Septuaginta versione virali, uti à Waltono, Simonio aliisque, dudum observatum est, lectiones in Syriacam irrepserunt: sive eæ à Versione Arabicâ, sive à Versione recentiore Mar Abbæ adscriptâ, acceptæ fuerint; quæ ferè semper nullo negotio deprehendi possunt. Sunt præterea omissiones, additiones, transpositiones, vocum, literarum, necnon harum mutationes nonnullæ, quæ ab oscitantibus Librariis indoctisve, non potuerunt quin ortum duxerint, ut et in Libris omnibus à diebus antiquis acceptis videre est. Accedit, quod in Editionibus Parisiarum et Londini, nonnulla Typothetarum, Editorumque in vocalium applicatione, errata conspiciuntur: et, quod maximè mirandum, Lectionum variarum supellex ab Editoribus Londinensibus data, valdè manca atque imperfecta esse reperitur. Veruntamen, his datis, Interpretationis optimæ Theologisque utilissimæ exemplar, Versio Syriaca sese hodiéque sistit.

II. Quo tempore, aut quo Interprete, facta fuerit hæc Versio nemo definire adhuc potuit. Syri, modo eam ad

tempora Solomonis,* modo verò ad tempora Abgaris Regis Edessæ, Historiæ suæ tamen antiquioris vix quicquam scientes, gloriabundi referunt. Sed, his missis, verisimile videtur eam, i. e. Veteris fœderis, exeunte sæculo Ecclesiæ primo aut demùm ineunte secundo, cusam fuisse. In sæculo quarto in eam sua commentaria, etiamnum exstantia, conscripsit Ephremus Syrus. Ejus fortassè initia ad tempora Abgaris referri queant; nisi fortè ea Chaldaïca τῶν Targumim, sive Judæorum sive Samaritanorum, re vera fuissent: magna enim adhùc inter utraque convenientia haud quaquam fortuita, uti suprà observatum, conspicitur. Certum est, præterea, eam in Ecclesiis Syrorum longè latéque obtinuisse, antequàm Hæreses partiumque studia à Nestorio Eutycheteque excitata, Syrorum mentes turbâssent.

III. Novi Fœderis versio Syra, quin primo durante sæculo facta fuerit, non est quod cuiquam dubium moveat: et Evangelia, quæ simpliciore purioreque quam Libri cæteri currere stylo nonnulli observârunt, ipsorum etiam Apostolorum tempore fuisse Syriacè reddita, admodum probabile est.† Utcunque tamen hæc se habeant, nulla adhuc Versio in usum Ecclesiæ facta, tantis Virorum doctissimorum ornata est encomiis, tantisve, uti nobis quidem videtur, laudibus evehi emeruit. Nec mirum, facta est enim cum jam lingua Helenistica Græca in usu erat, atque iis ipsis etiam in locis, ubi ea maximè vigebat. Interpretes ejus, quicunque ii demùm fuerint, ipsis Apostolorum temporibus, vel temporibus ab iis propiùs accedentibus, antequàm Metaphysica Aristotelica, Platonica, placitave monastica, cæteraque hujus farinæ dogmata inter Christianos radices egerant: atque adeò, quin maximi omnibus veritatis studiosis haberi debeat, non est quod quisquam dubitaret.

IV. Concesso tamen, hanc versionem suis nequaquam carere nævis, dixerim eos tum pauciores, tum minores esse, quàm Viri docti plerumque statuerint: et, ut nulla dubitationis alea hâc de re restaret, auctoritates maximas alterâ ex parte facientes, enervaturus in medium profero. Bar Hebræum enim Syrum, in hanc Versionem nimis injurium, eâ doctrinæ supellectili non fuisse instructum, ut scita ejus vel audiri mereantur;‡ atque Assemanum, ejus epitomatorem, semet malefidum negligentemque in his referrendis præstitisse, lubens affirmo. Demonstrationes nunc accipe.

V. Locus primus apud Assemanum (Biblioth. Orient. Tom. II. p. 279.) ita occurrit: ܗܘ ܕܐܡܪ ܠܐ ܢܣܒ ܐܢܫ ܐܚܪܢܐ ܠܐ ܐܦ ܐܢܐ ܠܟ ܐܡܪ ܠܐ ܫܒܥ ܐܡܐ ܕܫܒܥ ܐܦ ܐܢܐ ܠܟ ܐܡܪ ܕܫܒܥ ܒܫܒܥ ܐܬ ܗܘ ܕܐܡܪ ܠܐ ܢܣܒ ܐܢܫ ܐܚܪܢܐ ܠܐ ܐܦ ܐܢܐ ܠܟ ܐܡܪ ܕܫܒܥ ܐܡܐ

ܗܘ ܕܐܝܟ ܕܠܦܫܝܛܬܐ ܥܡ ܣܦܪܐ ܕܥܒܪܝܐ ܡܬܚܕܝ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܐܘܣܒܝܘܣ ܩܝܣܪܝ ܕܐܦ ܗܝ ܐܡܪ ܕܒܐܝܕ ܐܢܬܬܐ ܚܕܬܐ ܐܫܟܚ ܠܗ ܐܦ ܗܝ ܒܫܘܪܝ ܐܝܕܝ ܒܟܠ ܐܬܪ

cârunt: obliviscetur ejus misericordia: i. e. distributivè sumptus, unusquisque eorum oblivioni tradetur. Eundem prorsùs ordinem eundemque sensum dabit versio simplex, nisi quod illa, verbum תִּשָּׁכַחְנָה passivè sumit. At, cum loco è Psalmo li. laudato minimè convenire potest noster: aliud namque omninò respicit, quod non perspexit Syrus.

X. Pergit Bar Hebræus: ܘܥܕ ܐܡܪ ܐܝܘܒ ܕܟܬܒ ܘܐܡܪ ܐܝܘܒ ܕܟܬܒ ܒܣܦܪ ܐܝܘܒ ܗܢܐ

addo: nec eæ vitiosæ sunt, sed genio linguæ venerandæque antiquitati omninò convenientes.

XVI. Incusationes igitur istæ, Doctissimi Maphriani totius Orientis, in posterum flocci pendant necessè est. Videamus nunc demùm alias, ejusdem ferè generis, à Simonio cæterisque prolatas. Multus est Simonius (Hist. Crit. p. 272, &c.) et post eum Carpzovius (Crit. Sacr. p. 628, &c.) in reprehendendo versionem Syriacam, quod nomina propria, non eodem prorsùs modo cum Archetypo ubique expresserit. Alterâ verò parte audiatur Kirschius hâc de re disserens. "Hæc linguarum," inquit,* "aut hominum potiùs certam linguam loquentium natura plerumque in causâ est, cur scriptores nomina propria, quæ in suâ linguâ non satis tolerabilia essent, mutant: eorumque formam suæ gentis pronuntiationi accommodant. Hanc consuetudinem secutus est interpres Syrus, cujus reformandi leges qui non respexit, opinetur necessè est, scribarum vitio ea vocabula depravata esse."—Posteà dat Vir doctissimus leges, quibus, uti ei visum est, usi sunt Interpretes Syri, easque satis largâ exemplorum messe illustrat. Addit demùm: (p. xiii.) "Nam præterquam quod hâc ratione textus Syriacus minus corruptus videtur, illæ alicujus etiam usus in quæstionibus criticis et geographicis esse possunt. Etenim uti hinc apparet, Criticum in nomine proprio Syriacè aliter scripto variantem non statim invenire, sic patet etiam, non illico repudiandam, syriacæ versionis hac in re auctoritatem, esse, quæ fortè, si has similesque mutandi leges ante oculos habeamus, veritatem non minus, quam aliæ versiones confirmant." Plura dare supersedeo; leges igitur ipsas Kirschianas Lectorum judicio, utpote crisi huicce commendabiles, relinquo.

XVII. Loca discrepantia plura, eaque nonnunquam cum Septuaginta versione virali facientia, dabunt Waltonus, Proleg. xiii. § 10, &c. Simonius, Libro citato (pp. 272, 273, &c.) Carpzovius, Crit. Sacr. pp. 626, 627, &c. Eichhornius Einleitung in das Alte Testament, § 253 et seq. Spohn de ratione textus Biblici in Ephremi commentariis obvii. Lips. 1785. et Viteberg. 1794, &c. Ea tamen omnia ad trutinam bene examinanda esse, priusquàm judicium de iis feratur, quisque prudens videbit.

XVIII. Restat ut unum, idque haud exigui momenti, Lectores submoneam, h. e. Textum Versionis Syriacæ, Veteris præsertim Testamenti, in Polyglottis impressum, id accurationis haud expertum fuisse, quod in opus tantæ magnitudinis existimationisque impendi debuerit. Editores Parisienses bonum et antiquum Exemplar, undè textum describerent, non possederunt: Londinenses, Codices nonnullos bonæ notæ ad manus habuerunt; textum tamen, tantum non in omnibus, cum Parisiensi conspirantem in Publicum emiserunt. Collationes equidem ii fecêre, sed quæ sequuntur satis superque commonstrabunt, eos valdè negligentes operam suam in his colligendis navâsse.—Mss. Syr. Usserii 1. Arch. C. 5. In Catal. Uri. N. 3131. Et. 2. N. 141. Bodl. contulit Thorndicius. vide Tom. vi. Polyglott. Lond.—Gen. Cap. iii. v. 8. ܒܝܘܡܐ sine ܕ. Ita Heb. Uss. 1. ib. v. 13. ܠܐܢܬܬܐ ܕܡܪܝܐ *Dominus Deus Mulieri.* Uss. 1. 2. et Poc. ita et Heb. יְהוָה אֱלֹהִים לָאִשָּׁה ib. v. 16. ܬܫܘܩܬܟ Uss. 1. Poc. sine. ο. ita et Heb. ib .v. 22. ܘܢܣܒ ܐܦ, Uss. 1. Poc. *et sumat etiam:* ita et Heb. וְלָקַח גַּם Ib. Cap. iv. v. 3. ܡܢ ܦܪܝ ܐܪܥܐ *fructus terræ suæ.* Uss. 1. 2. et ita Heb. excepto pronomine ܗ, i. e. מִפְּרִי הָאֲדָמָה, non מִכָּל פְּרִי הָאֲדָמָה, de fructibus *seminis* sui! ib. v. 8. ܒܚܩܠ ܗܒܠ Uss. 1. 2. Poc. ib. ܒܚܩܠܐ pro ܒܚܩܠ. ib. v. 12. ܠܐ ܬܬܠ ܠܟ Uss. 1. ib. ܠܐ ܬܬܠ ܠܟ Uss. 1. Heb. נָע וָנָד. ib. 13. ܡܢ ܥܘܠܬܝ Uss. 1. 2. Poc. et ita loci sensus exigit. ib. v. 16. ܬܫܘܩܬܟ Uss. 1. Ib. Cap. V. v. 1. ܒܪ ܐܕܡ pro ܒܪ ܐܢܫ. Uss. 1. 2. Poc. ib. v. 11. ܡܢ ܦܘܡܗ ܕܐܪܥܐ Uss. 1. 2. Poc. ita Heb. מִפִּיהָ Ib. Cap. vii. v. 13. ܡܢ ܩܕܡ ܝܗܘܐ. Uss. 1. Heb. אֹתָם *cum illis,* in pl. ib. v. 15. ܠܟ ܘܠܟ ܠܗ Uss. 1. Heb. וְיָבֹאוּ, item in pl. ib. v. 23. ܘܐܬܐ ܠܗ ܠܐ ܐܬܐ ܠܗ ܠܐ. Uss. 1. et ita Heb.—Hæc ostendere sufficiant quâ sedulitate usus est bonus ille Thorndicius: Lectoresque monere, ne Editorum sphalmata in Interpretem injuriosè cumulent. In Editione meâ, quæ Anno 1823. lucem videt, multa Codicum Manuscriptorum fide correxi; multa, præterea Librariorum sphalmata, auctoritate justâ destitutus, intacta reliqui. Quales, ut hæc editio emendatior prodiret, labores in me susceperim, invidiosum esset hic loci commemorare. Sciant, dicantque, qui in hujusmodi palæstrâ diutiùs sudârint. Hoc tandem didici, vix ac ne vix quidem fieri posse, ut versio hæc ad statum suum pristinum redigeretur: et, ni valdè fallor, nulli hodie extant codices usque adeò integri, qui sphalmatum in eam cumulatorum, vel dimidiam partem, corrigere possint.

## SECTIO II.

*De Versionibus Veteris Fœderis Syriacis, quæ è Græco fuerint cusæ.*

I. Quæstio hæc multis equidem impedita difficultatibus, non eo nos perplexos reddit quo vera à falsis, sed quo historica à doctiorum conjecturis, discernamus. Atenimverò, ut nos cursum nostrum liberiores prosequamur, à certis ordiamur, dein ad minùs certa deveniamus, disserturi.

II. Primus qui Versionem LXX. viralem Græcam in Syriacam tranfudit linguam, si fidem historiis Syrorum adstruere liceat, fuit Mar Abbas quidam, Patriareha Chaldæorum Nestorianus, qui A. D. 552 supremum diem obiit.† "Mar-Abbas magnus," inquit Ebed Jesu in catalogo Scriptorum Syrorum, "exposuit interpretatusque est totum Testamentum Vetus ex Græcâ linguâ in hanc Syriacam." Et Gregorius Bar Hebræus: "Abbas...Scripturas ex Græco in Syriacum vertit." Verba ab Assemano ex Amro citata, hæc tantum evincunt, Abbam sc. libros quosdam è Græco Syriacè reddidisse.

III. Secundus hunc in se suscepit laborem, Paulus Episcopus Telæ Mauzalet, urbis in Mesopotamiâ sitæ, quæ et Episcoporum Jacobitarum sedes ab Assemano‡ esse dicitur.§ Epilogus Codicis Syro-Parisiensis libri IVti. Regum, ita se habet: "*Vertit hunc librum ex linguâ Græcâ in Syriacam secundum editionem τῶν Septuaginta et duorum pius Abbas Mar Paulus Episcopus fidelium, Alexandriæ in urbe magna, jussu et curâ sancti et beati Mar Athanasii patriarchæ fidelium, in cœnobio Mar Zachæi Callinicensis, &c.*" "Habetur," addit doctissimus Bugatus, "ulterius ætas, in qua maximè floruit hic Paulus Telensis, quæ, Assemano ipsi ignota,‖ vix ex Gregorii Syri testimonio a nobis conjectando deducebatur; sæculum scilicet Christi septimum, cujus anno decimo septimo, Græcorum 928, (A. D. 617) versio ipsa à Paulo confecta dicitur in epilogo mox laudato." Hæc, præterea, habet Assemanus, (Bib. Orient. Tom. ii. p. 47.) "Hinc Paulus apud Monophy-

* In prefatione, p. x. &c. suæ Pentateuchi Syriaci editionis. Hofæ. 1787.

† Eundem Mar Abbam Apocalypseos librum è Græco Syriacè reddidisse autumat clariss. Michaelis. Introd. ad N. T. Tom. ii. pars 1. § 10. Videatur quoque Ridleius de Vers. Syr. p. 39, 40. Biblioth. Orient. Assemani. Tom. iii. p. i. p. 75, &c.

‡ *In Dissertatione de Monophysitis,* Tom. ii. *Bibl. Orient.* præmissa, Art. iv. verbo *Tela.*

§ Daniel sec. Editionem LXX. Interpretum...edidit Cajetanus Bugatus. Mediolani. 1788. Pref. pp. xx. xxi.

‖ *Bibl. Orient.* Tom. ii. pag. 48.

sitas *Interpretis Librorum* cognomentum meruit, ut legitur in Kalendario Jacobitarum ad diem 23 Augusti...hunc enim," pergit, "libros è Græco in Syriacum interpretatum fuisse, ex supra dictis constat." Errat autem vir doctiss. hoc ex suprà dictis ejus non apparet. Addit, "Bar-Hebræus in Horreo Mysteriorum Paulum quendam Telæ Episcopum laudat, quem Vetus Testamentum Syriacum fecisse testatur." Duæ igitur versiones, altera Nestoriana, altera Jacobitica, ex Græco factæ sunt: quot præterea factæ fuerint, non dixerim: plures tamen fuisse factas, conjecturæ doctissimorum eo me minimè movent, ut crederem: at quænam hæ sint nunc demùm videamus.

IV. Primus omnium, ni fallor, has versiones fictitias in medium protulit doctissimus Assemanus; in Bib. Orient. Tom. i. p. 71. enim, citato commentario Ephremi, ita pergit: "Ex hoc loco discimus, Ephræmum *Græci sermonis* haud ignarum fuisse: nam Versionis Septuaginta interpretum meminit." Valdè, inquam, verisimilè hoc mihi videtur, iis quippè temporibus, lingua Græca longè latéque in Oriente viguit: hoc quoque Operum Ephremianorum Editori doctiss. commendatissimum visum est: in suâ præfatione enim, ita Lectorem alloquitur: "Duas siquidem (versiones) Syri usurpant, alteram, quam simplicem appellant,...Alteram, ex Græco textu expressam, quanquam nec adeò certum est, an ista Ephræmi ætate exiterit: nec ejus antiquitas satis probatur ex eo, quod S. Doctor Græcum textum alicubi proferat, quum Hebraicè et *Græcè perindè doctus fuerit*, et utriusque textûs vocabula frequenter vel explicit, vel integra, ut in Codice Hebraïco vel Græco extabant, representet."—Addit tamen Assemanus: "Vel saltem *editionem illam in Syriacam versam legisse.*"* Hinc versione Græcâ ante-Ephremianâ gaudentes fruimur!† Sed, ut ostendam quâ facilitate SS. versiones apud Scriptores gravissimos cuduntur, alterum dabo locum. (Bib. Orient. Tom. ii. p. 307.) "Utitur Bar-Hebræus auctoritate Versionis Syriacæ Vulgatæ, *Heraclensis*, et τῶν Septuaginta, *Ephræmi, Isaaci, Jacobi Sarugensis et Edesseni, Narsetis, Antonii Rhetoris*, et Pauli auctoris versionis τῶν Septuaginta apud Syros." Post Assemanum, fructuosiorem se longè præbet Doctissimus Wiseman, Pontificatûs hodiernus strenuissimus propugnator. "Sequenter," inquit..."præcipuè circumferuntur tanquam versiones quarum *aliqua saltem cognitio* ad nos usque pervenit." I. *Peschito* seu Simplex. II. Versio *Karkaphensis* (de qua posteà). III. Versio *Figurata*.‡ IV. Versio *Hexaplaris*. V. Versio *Pauli* Episcopi Telensis. VI. *Mar Abbæ*. VII. *Jacobi Edesseni*. VIII. *Simeonis* Abbatis S. Licinii, versio Psalmorum. IX. *Philoxeniana*, seu *Xenajae* Mabugensis. X. *Harklensis*, sive *Thomæ* Episcopi Harklensis. XI. Versio ex *Origenis* Quinta. XII. Græca seu *Jaunojo* apud S. Ephræmum." "His addere possem," inquit, "VELUTI versionem ex Hebraïco fonte ab Ephræmo inter commentandum factam, aliam ex Græco, ante Origenis ætatem, *Nestorianam* pariter, Jacobitam, &c." Expendas, quæso Cordate Lector, qualem versionum segetem Syrarum ediderint Doctiorum ingenia!

V. Sed ex his pauca juvabit in examen revocare: Versio (n. iv.) Hexaplaris, eadem prorsùs est, Judice doctiss. Bugato, ac illa Pauli Episcopi Telensis. Numeri igitur iv. et v. in unum amicè corruunt. Versio, (n. vii) Jacobi Edesseni, teste Bar-Hebræo, recensio est, et præterea nihil:§ disparet itaque vii. omninò.

VI. De Octavâ Simeoni Abbati adscriptâ dixerim; donec tandem plura de eâ proferantur quàm Assemanus dedit, (Bib-Orient. Tom. ii. p. 83.) tutius fortassè erit nihil definire, præsertim cum is dixerat: "brevis aliquot Psalmorum exstat, &c.:" quia fortassis versio ipsa posteà expositionem tantum suppeditabit. Sed quædam ad rem suam facientia, hic loci omisit Doctiss. Wiseman; versionem enim Psalmorum, Simeon Abbas Polycarpo (si vera sit lectio) cuidam adscripsit. At cum locum malè reddidit Assemanus, operæ erit pretium eum denuò vertere. Textus Syriacus est: ܩܠ ܐܓܪ ܒܡܙܡܘܪ ܬܫܥܝܬ : ܟܬܒ ܠܗ ܒܫܒܚܐ ܕܡܪ ܦܘܠܘܣ ܐܦܣܩܘܦܐ ܕܡܢ ܐܘܪܫܠܡ ܥܠ ܫܡ ܥܡܐ ܩܕܝܫܐ ܘܥܠ ܫܡ ܟܠ ܡܢ ܕܡܫܬܡܫ ܒܗ ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܕܫܪܝܪܐ ܘܒܫܠܡܐ ܕܒܟܠ ܙܒܢ ܐܬ ܠܗ ܘܠ

(exceptis fortassis his Epistolis) una est atque eadem. Numeri propterea Wisemaniani ix. et x. unum modo efficient.

VIII. De Versione Origenianâ ejus Quintâ, quum nullæ istius partes ad manus adhuc pervenerint, non habemus undè sententiam de eâ proferre possemus: effictam eam esse nullus dubito. Quando tamen demonstrationes suas in lucem protulerit Doctiss. Wiseman, aliter forsàn credidero. Ad Græcam istam (n. xii.) seu *Jaunojo,* plura disputata jam dedimus. Versionem præterea ab Ephremo factam inter commentandum, à clarissimo Wiseman nostro effictam esse, non est quod quisquam dubitârit: fictitias itidem versiones Assemanianas *Isaaci, Jacobi Sarugensis et Edesseni, Narsetis, Antonii Rhetoris,* æque ac Wisemanianas, suprà memoratas, nunc demùm alibi disquirendas relinquo.

IX. De recensione Jacobi Edesseni pauca hîc adnotare non pigebit, præsertim cùm Cl. de Sacy Bugatusque nonnulla de eâ dederint. Quicquid de labore improbo Doctiss. de Sacy statui debeat, et ejus ferè semper dicta pro ratis compertisque censeri merentur, Versionem tamen *τῶν* Septuaginta exstitisse jam antè Origenis tempora, is, ni fallor, nunquam demonstrabit.* Vir doctus, omni procul dubio, speciosâ conjecturâ Assemani suprà citatâ, deceptus est. Plura tamen hujusmodi occurrunt, quæ Tyronum gratiâ, nefas duxerim præterire. In p. 598, quùm nullum restare crediderit dubium, quin versio, quam Jacobus corrigere instituisset, esset *τῶν ὸ,* eaque fortassis, quam anteà Mar Abba Nestorianus è Græco Syriacè reddidisset, atque adeò Jacobita ceu Orthodoxus, ut mavult Assemanus, eam correctione egere credidisset:† ita pergit Vir Doctiss. "Le mot *ὑποδότης* est en effet celui que les 72 emploient ici. Cette note," addit, "prouve que Jâques d'Edesse avoit sous les yeux le texte grec des Septante." Crediderim equidem, ni Librarius quivis id addere potuisset: sed, neque credibile est, virum sc. celeberrimum, Codicem ipsissimum Jacobi ob oculos, cum hæc scripserit, habuisse. In p. 603. similem conjecturam, mihi demùm improbabilem, dat Vir doctissimus: "En marge on lit," inquit, "le mot grec Αροηβ, *ce qui prouve* que Jâques d'Edesse lisoit dans son exemplaire des 72. *καὶ κατέφαγεν* Ἀροὴβ Μωὰβ, où nous lisons aujourd'hui *καὶ κατέφαγεν ἕως* Μωάβ." At pace ejus dixerim, longè verisimilius est, Ἀροὴβ Μωὰβ vitiosam lectionem pro Ἀροὴρ Μωὰβ, ipsissimâ, inquam, lectione quam sistit textus recensionis Jacobi! h. e. ܥܪܘܥܝܪ ܕܡܘܐܒ, *Aroer Moabi.*‡ Multas præterea interpolationes, è Pentateucho Samaritano petitas, sistit codex hicce Parisiensis: undè conjicere, mea quidem vice, liceat, hanc recensionem peculiarem esse, et Correctorem ejus eam in populares suos nunquam emisisse. Qui specimen ejus videre aveant, adeant Prefationem Doctissimi accuratissimique Bugati suprà laudatam.

## SECTIO III.

### *De Recensione Karkaphensi Syriacâ.*

I. Quâ fuerit indole Versio § *Karkaphensis* dicta (ܩܪܟܦܝܐ), quo tempore, aut à quo, facta, aut in quorum denique usum concinnata, adhuc ambigerunt Viri Docti. Ita de eâ primus Assemanus post Bar Hebræum disseruit: "Præterea duæ aliæ Syriacæ, præter Simplicem cui pressè inhæret, *Versiones* identidem citantur, nimirùm ܗܪܩܠܝܐ *Heracleensis,* et ܩܪܟܦܝܐ *Karkaphensis,* hoc est, Montana, quâ videlicet incolæ montium utuntur." ‖ Hinc varia conjectandi loca Viris Doctissimis exorta sunt: quæ hîc referre omnia animus non est; ea enim apud suos quosque Auctores legenda reperientur. ¶ At quum nova quædam hâc de re, in lucem nuper protulerit Doctissimus Wiseman, ea paucis recensere nobis officii loco fortassè duceretur. "In indice Codicum," inquit (Hor. Syr. p. 152.) Syriacorum scriniis Vaticanis ab Andrea Scander invectorum, qui subnectitur secundo tomo *Bibliothecæ* Orientalis, (p. 500.) recensetur Codex cui titulus: "*Onomasticon* seu lectiones V. et N. T. juxta traditionem *Karkaphitarum.*" "Describitur Codex iste, qui ibi xxii. numeratur, tanquam, *Jacobi* Edesseni vocum difficiliorum, quæ in Syriaca Veteris et N. T. versione occurrunt, recensio et punctatio." Addit p. 153. "Codicem igitur evolvere statui, invenique in Catalogo edito sub nomine Jacobi Edesseni notatum, signatumque numero CLII. nunc vero est CLIII. cujus descriptionem mox dabo. Continet autem liber iste non singula tantum verba, sed et integra ferè commata, ex plurimis Capitibus Sacrorum Librorum, ita saltem ut indoles textus facile possit dignosci."—"Titulus Operis," pergit (p. 155.) "qui verso primo folio cernitur, sic se habet. ܗܕܐ ܣܟܡ ܡܫܬܐ ܕܝܠܗ ܕܝܘܚܢܢ ܒܪ ܐܒܪܗܡ ܥܢܒܝ ܕܐܬܝ ܡܢ ܩܪܟܦ ܒܫܘܬܦܘܬ ܕܬܠܬܐ ܩܕܝܫܐ ܘܥܡ ܫܪܝܪܐ ܘܒܬܘܒ ܐܦ ܐܝ ܒܫܘܬܦܘܬ ܕܟܢܫܐ ܩܕܝܫܬܐ ܕܐܦ ܗܝ ܡܢ ܩܪܟܦ. Quæ sic vertere licet," inquit; "Viribus et adjutorio Trinitatis Sanctæ et consubstantialis, Patris et Filii et Spiritus vivi et Sancti, scribere aggredimur libellum *punctationis* et *legendi modi* Veteris Novique (Fœderis) juxta *versionem* Karkaphensem." "Puncta significare puto," (i. e. ܢܩܛ) addit in notis, "Nam constat in hoc codice sæpius puncta ܦܣܩ dici. Neque sensus adeò cohærere videtur, si reddamus *nominum et modi legendi;* deberet enim esse et *modi legendi nomina,* &c." Redderem tamen, et magis, ni fallor, ad Auctoris mentem, *nomina:* et pro *legendi modo, lectiones,* id enim vox ܩܪܝܐ certissimè significat. "Lectiones," addit Doctiss. Wiseman, "non sensu critico sed grammatico et philologico." Assentire nequeo, quia lectionis varietates verè criticas dat Auctor, ut statim videbimus. Mera est præterea tautologia dicere, *puncta* et *legendi modi.* At, cum Auctor non modo nominum formas disquirit, sed rerum quoque et nominum propriorum varietates adducit;** ratio idonea nulla excogitari potest, quare voces hæ in proprâ suâ significatione non accipiantur. Neque, vox *consubstantialis,* vera est versio *τῶν* ܗܘܡܘܣܝܐ sed, *et æqualitas* in *τῇ οὐσίᾳ:*

---

* "Il me paroit," inquit ille, "très vraisemblable que les Eglises Syriennes avoient deja cette derniere version (i. e. *τῶν ὸ* syriacè reddita) avant Origène." Eichhorn's Bibliothek Allgemeine viii. Band. p. 589—90.

† Eichhornius in Einleitung in das Alte Test. §. 260. epigraphen Syriacam e codice Parisiensi citat ad finem Geneseos scriptam, quæ tamen nihil aliud profert, quam quod Jacobus Edessenus versionem Syram è Græco factam, adhibitâ etiam simplice, recensuerit: concludit igitur is, versionem illam *Figuratam* fuisse. (vide et p. 519.) et §. 260. Ib. credit Adlerus Jacobum Versionem Philoxenianam recensuisse. Atqui nullibi apparet Philoxenum Vet. Test. Syriacè reddidisse.

‡ Hujusmodi plura congerere possem: unum tantum addo; p. 593. "On pourroit penser, &c. car il emploie pour rendre le mot les deux mots ܒܡܨܝ ܗܟܦܐ qui sont une traduction *ridiculement litterale* de grec *τῶν ὁλοκαυτωμάτων,* au lieu que dans le version simple on lit seulement ܒܡܨܝ." Sed *non occurrunt, τῶν ὁλοκαυτωμάτων* in Exod. 38. 1. l. c. ܒܡܨܝ ܗܟܝܠ præterea *sexcenties occurrunt* in versione simplici pro Heb. עֹלָה e. g. Ps. 40. 7, &c.

§ Bibl. Orient. Tom. ii. p. 283.

‖ Ita dudum mos fuit de hâc recensione loqui. Vide Michaelis Introd. ad N. T. Ed. Marsh. Tom. ii. pars. i. cap. viii. §. 12. Amersfoordt in dissert. de lect. var. Holmesianis. p. 22. qui nullo negotio eam Nestorianis tribuit.

¶ Vide Wiseman Horæ Syriacæ, p. 149.

** In pp. 157, 217, 218, 246, nominum propriorum hujusmodi varietates habemus. Pesch. ܟܠܝܐܝܬ, Karkaph. ܟܠܝܐܝܬ. Pesch. ܐܠܝܐܝܬ Kark. ܐܠܝܐܝܬ, Kark. ܡܢܐ. ܐܠܝܐܝ, Kark. ܐܠܝܐ. &c. appellativorum. p. 158. ܬܘܠܐ in margine ܬܘܠܐ. &c. —Lectionum verè criticarum, p. 160. ܐܬܐ, Kark. ܐܬܐ, ib. Kark.

non respicit enim Syrus, tàm *consubstantialitatem* Trinitatis sanctissimæ, quàm Personarum in τῇ οὐσίᾳ æqualitatem: alioquin, vocem ܡܗܘ omni sensu carentem necessè erit eum usurpâsse, quod minimè crediderim. ܡܗܝܡܢܘܬܐ præterea suâ vi *traditionem*, non *versionem* sonat. Redderem itaque eam inscriptionis partem, quæ ad quæstionem nostram pertinet: *Incipiamus describere fasciculum nominum lectionumque Veteris ac Novi Fœderis, juxta traditionem Karkaphensem.*

II. Addit Vir Doctissimus: "Satis clare loqui videtur titulus iste, sed tamen duo sunt quæ dubium aliquod movere possint. Primo igitur, *textus hujus Codicis vix à* Simplici latum unguem abhorret, ut disertè apparet in exemplis adductis. Secundo, objici posset, in ipsius Codicis margine *notari lectiones Karkaphenses* tanquam à textu discrepantes, non secus ac illæ Harklensis versionis." Sequuntur duodecim exempla, (p. 157,) quæ, omnia suppeditant loca, in quibus lectiones Karkaphenses adducuntur in margine. "Duæ istæ," pergit, "objectiones facile diluuntur; nam quoad primam *textus* certè essentialiter unus est cum Peschito, sed habet tales ab hâc discrepantias quæ *recensionis* nomen ipsi promereantur." Discrepantia infrà adducitur, in voce ܐܚܚܐ, pro ܐܚܐ τῆς Peschito. At ܐܚܐ τῆς Peschito, idem in ore Nestoriano prorsùs sonat ac ܐ.ܚܚܐ enim, regulâ grammatices, omnibus duplex est: et (ʾ) apud Nestorianos, ejusdem prolationis est ac (ʿ). Varietas lectionis igitur vera non est, sed omninò fictitia. Plura tamen pollicetur vir Doctiss. in eâ tractatûs sui parte, quâ de indole hujus versionis sive potiùs recensionis, disserturus erat. Et ad paginam 208 quinque loca adducit, in quibus tamen discrimen aliquale, in punctis vocalibus solùm, sistitur, idque ex comparatione factâ cum textu τῆς Peschito Nestoriano. Alibi demùm hæc habet: "Hoc igitur peculiare sibi habet recensio nostra, quod, textum *Simplicis ut plurimum retinens, ab eo in nominibus vocibusque Græcis deflectat, orthographiam potiùs Harklensem sequens.*"* Sequuntur exempla nonnulla, quorum anteà mentionem fecimus. A paginâ denique 219. usque ad 234. collectionem lectionum variarum sat amplam ob oculos ponit Vir Doctiss. quæ rem eousque conficit, ut dubium nullum posteà restare queat, recensionem sc. à capite ad calcem usque, textum τῆς Peschito dare, paululùm equidem variatum, at haud magis quàm à Librariis indoctis, vel saltem in dialectum rudiorem inclinantibus, fieri potuit, unusquisque videbit. Atqui notatu dignum est, recensionem hancce pauca hinc indè tantum dare: cæteris fortassè locis cum Peschito in omnibus convenit: et, si res ita se habeat, recensio vix ultra variæ lectionis congeriem, qualem schedæ meæ è codicibus τῆς Peschito MSS. sistunt, progreditur.

III. Quare hæc variarum Lectionum supellex nomen *Karkaphensis* (ܩܪܩܦܝܐ) sumpserit, præsertim cùm nihil hâc de re fide dignum invenire potuerit Doctiss. Wiseman, supra vires meas est, Librorum MSS. supellectili destitutus, dicere. At, si ex circumstantiis conjicere liceat, arbitrarer vocem à nomine viri, aut loci cujusdam, fuisse desumptam: vox enim ܩܪܩܦܝܐ ejusdem sanè formæ est ac vox ܫܟܡܝܐ, quæ ab ܫܟܡ, nomine sc. loci, mutuata est. ܩܪܩܦ præterea nomen est loci in Mesopotamiâ siti: † mihi, igitur, verisimillimum videtur, hanc crisin primò a viro quodam, urbe ܩܪܩܦ oriundo, ortum suum duxisse: atque indè nomen ܩܪܩܦܝܐ sortitam fuisse. Clarissimus Assemanus, sat scio, vocem tanquam *Montanum* sonans accepit: at hoc conjectando tantummodo assecutus est: et quum nihil ad nos adhuc de usu hujus recensionis inter Syros monticolas pervenerit, interpretationem hancce non satis aptam fuisse adhibitam, arbitrarer.

IV. Satis feliciter, ni fallor, Auctorem Codicis Vaticani Karkaphensis assecutus est Doctiss. Wiseman: quamvis oppidò dubitarem anne ille Monophysita fuerit. Et, summatim dixerim, rei literariæ benè consuluerit Vir Clarissimus, hâc hujus codicis recensione edendâ, quamvis in nonnullis ab eo dissentire coactus fuerim. Magnas ille equidem omnibus spes, his incœptis, excitavit, quas, ut tempestivè expleret, Reipublicæque literarum Assemanus alter evadat, maximopere optare, exspectareque pergam.

## SECTIO IV.

### *De Novi Fœderis Versione Syrâ, Peschito dictâ.*

I. Novi Fœderis versio Syriaca, meliora sibi sortita fuisse fata quàm Veteris, omninò videtur: longè namque purior ejus textus ad manus nostras pervenit: quippe quæ litem nullam anxia cum Septuaginta virali usque adeò laudatâ, sustinuerit: faciliores ei præterea ad archetypum aditus patuerint. Inter Europæos tamen maximas hæc versio passa est injurias: nam post impressionem ejus primam Typographicam, anno 1555. ab eruditissimo Johanne Alberto Widmanstadio, feliciter susceptam atque ad finem perductam, glossemata haud pauca accepit, quæ ad nostra usque tempora, cum textu permista, locum tenuerunt. Hæc tamen, ut plurimum, à Widmanstadio originem traxerunt:‡ et Editores ea ab illo accepta in textum intruserunt: haud dubii fortassis, quin quo majorem se præbuisset Liber sanctus, eò semet puriorem melioremque omnibus commendâsset. Quid demùm Widmanstadius in adornandâ suâ editione præstiterit, his ejus accipe verbis. "Sanctum Jesu Christi Evangelium, Syriaco sermone, qui et Christo vernaculus § fuit, et ab Evangelistis Hebraicus passim appellatur, scriptum, Viennæ Austriacæ ad *duo vetustissima exemplaria*, typis itidem Syriacis, magno numero exprimi, atque indè ad Patriarcham Antiochenum, Christiani Regiique muneris loco mitti curavit. Anno à Christo nato M.D.LV." ‖ Hinc patebit, Editorem dua vetustissima exemplaria Syriaca ad manum ha-

---

ܚܚܬ ܚܚܬ pro ܚܚܬ ܚܬ. &c. Videatur præterea, p. 242, &c. ubi Spicelegium criticum ex professo dat Auctor ipse Doctiss.

* Optandum sanè est, ut in edendis Syriacis accuratiorem aliquanto se præbeat Vir præclarus, præcipuè in vocalium collocatione e.g. ܚܗܝ, pro ܚܗܝ. ܚܗܟ, pro ܚܗܟ, ܠܚܟܝ, pro ܠܚܟܝ, ܠܚܟܟ, pro ܠܚܟܟ, &c. in posterum daret: (p. 237, &c.) alioquin multa discentium incommodo dabit, doctorum verò in rarioribus vocibus dubitationi.

† Vide. Wiseman. Hor. Syr. p. 241. et Auctores ibi laudatos.

‡ Commata quæ Evangeliis Syriacis deerant, supplenda Syriacè dedit in suâ ad Evangelia tabulâ emendationum typographicarum Widmanstadius, additâ stellulâ, ne Lectorum oculos effugiant. Cætera in Epistolis et Actis Apostolorum dedit Tremellius in margine suæ Editionis, et indè in textum Editionum sequentium obrepserunt.—Valdè fallitur Porsonus cùm dixerit, Exemplaria Syriaca in Indiâ Orientali exarata, post Synodum Diamperiensem corrupta fuisse. Exemplaria enim nulla, adhuc indè delata, (et nonnulla habet Bibliotheca Cantabrigiensis Academica, dono illustris. Claudii Buchanani) hujusmodi corruptiones agnoscunt. Porson's Letters to Travis, p. 173, 174.

§ Multus est in hoc Vir Doctissimus, at perperàm: dialectus enim quâ scripta est Versio hæc Syriaca Antiochena est, non Hierosolymitana. In eundem errorem multi lubentes incurrêre tùm Grammatici tùm Theologi, haud inferioris nominis viri. Faustus tamen Naironus ultrà progreditur, nullus enim is dubitat, quin Evangelia omnia è Syriaco in Græcum idioma fuerint translata: Epistolas autem è Græco in Syriacum. Melius statuit N. Wiseman, utramque sc. linguam i. e. Græca et Aramæa in Judæâ in usu fuisse.—De hujus Versionis fatis &c. videatur Introd. ad Nov. Test. auctore clariss. Michaeli à Marshio edita. Vol. ii. pars. i. cap. vii. § viii. Editorisque notæ eruditissimæ in parte ii. Novi Test. Versiones Syr. à G. Christiano Adlero. Hafniæ. 1709. p. 3, &c. Dissertatio de Syriacarum Nov. Fœd. versionum indole atque usu. a G. Ridleio. 1761. Bib. Orient. Assemani. passim. Prolegom. Waltoni. 13. Ed. Wrangham, &c.

‖ Valdè erravit Schaafius, in præfatione ad N. T. Syr. ab ipso editum: "Edita est," inquit, "Anno 1562."

buisse; quæ Evangelia Sancta complectebantur. Ad finem Evangeliorum, hæc item habemus. "Sacrosanctæ Historiæ et Doctrinæ Evangelicæ a SSSS. Mathæo, Marco, Luca, et Johanne conscriptæ, atque linguâ et characteribus Syriacis, ad *duo singularis fidei Exemplaria* eleganter accuratéque exprimendæ, adque hunc finem perductæ." Et demùm literis Syriacis è regione oppositis, ܟܬܝܒ (ܚܠܡܐ ܕܐܠܗܐ) ܫܠܡ ܚܠܡܐ ܕܐܠܗܐ ܗܘ ܕܐܬܦܣ ܒܫܦܝܪ ܥܠ ܝܕ ܒܥܘܬ ܕܡܫܬܐ ܘܒܫܘܬܦܘܬܐ ܥܡ ܫܦܝܪ ܐܚܪܢ ܕܗܘ ܕܡܫܬܐ ܘܐܬܬܩܢ ܗܘ ܕܡܫܬܐ ܕܠܝܢ. &c. i. e. *Impressus est* (Liber) *literis linguâque Syriacis; investigatione accuratè factâ, correctus est è duobus exemplaribus aliis, libris* (inquam) *pervetustis Syriacis.* Et, cum hujusmodi ad epistolarum, cæterorumque librorum, fines nihil occurrat, valdè probabile est, hæc duo exemplaria Evangelia tantum complecti. Audiamus præterea Widmanstadium in suâ præfatione iterùm hâc de re loquentem.... "Juxta cœnobium," inquit, "ubi Theseus (Ambrosius) jam senex vitam agebat, fortè attributum fuisset, postridie ejus die templum ingressus, venerandum senem casu obviam salutari: qui, ut me de Cœnobii Bibliothecâ rarisque in ea libris sciscitari intellexit, è vestigio in conclavi introduxit, et arreptis è pluteo *Sacrosanctis Evangeliis Syriacè Scriptis*, Hospes, inquit ingemiscens, Peregrinis his studiis deditus sum annis circiter xv. eaque sine rivali ad hanc diem amavi."—Et, paucis interjectis, hæc addit: "Quarto post anno in Bibliothecâ Lactantii Ptolemæi reperi *quatuor Evangelistarum libros* unà cum Ephremi et Jacobi Syrorum opusculis nonnullis, quæ ipse mox transcripsi, atque cum *Thesei munere splendidissimo* conservavi," &c. Hinc fortassè patebit, Theseum Evangeliorum exemplar Widmanstadio dono dedisse, quod is posteà, una cum exemplari altero ad codicem illum in Bibliothecâ Lactantii servato descriptum, in suos usus retinuit. Et, ni valdè fallor, hæc ea sunt duo exemplaria, ad quorum fidem correcta est Widmanstadiana Editio Syriaca. Accedit, quod et usu deprehendisse videmur, Editionem Widmanstadianam multò se puriorem in Evangeliis habere, quàm in cæteris ejus partibus.

II. Additamenta, quæ Editores post tempora Widmanstadii, in Evangelia Syriaca infersierunt, is ita designat: "*Propter pauca quædam loca*," inquit, "*inter Typographicas Emendationes notata hoc signo, in quibus Libri Syrorum à nostris discrepant, vel ob Historiam Adulteræ apud Johannem, quod et in Græcis Exemplaribus non infrequens est, prætermissam, Opus totum per calumniam ne reprehendito.*" Additamenta hæc, historiâ Adulteræ exceptâ, ad marginem suæ Editionis, Anni 1568, imprimi curavit Tremellius. Editores nonnulli posthâc, ea in textum locârunt. Historiam Adulteræ primus ex MSS. Usserii, supplevit Waltonus in Bibliis Polyglottis Londinensibus, additâ tamen notulâ, *eam in exemplaribus τῆς Peschito non reperiri.** Epistolas illas Catholicas sive Canonicas, ut aiunt, Epistolam sc. secundam Petri, secundam et tertiam Johannis, et Epistolam Judæ, primus è MSS. Bodleianis in lucem emisit Edvardus Pocockius, Lugduni Batavorum anno 1630: Apocalypsin verò, Ludovicus de Dieu, è MS. quondam Scaligeri excerptam, publici juris fecit, Lugduni item Batavorum anno 1627.

III. Recensionem Editionum satis accuratam dabit Schaafius, in præfatione ad N. T. Syriacum à se et Johanne Leusdeno editum: nisi quod unam, Romæ sc. anni 1703, penitùs omisit: quæ, cum è MSS. codicibus, impressis omninò neglectis, exscriptus sit, ut Editor ejus nos monet, descriptionem mereri videtur. Editoris ipsius verba accipe. "Prodit modo," inquit, "hæc nova Editio desumpta *ex codice Bibliothecæ Collegii Maronitarum de Urbe*, quem Patriarcha Antiochiæ ejusdem Nationis egregiâ suâ in Sedem Apostolicam observantiâ, ac reverentiâ impulsus ad Fel. Record. Gregorii XIII. Pont. Max. cum permultis aliis Ecclesiasticarum rerum voluminibus transmiserat, &c."

IV. Quamnam tulerit ætatem aut demùm bonitatis notas hic codex, omninò silet Editor Faustus Naironus Banensis, Syriacæ Linguæ Professor in Romano Sapientiæ Archigymnasio: sed, paucis textûs ejus capitibus collatis, statim reperimus, eum ex vulgatioribus minusque correctis exemplaribus fuisse desumptum. De locis ab Editoribus in Textus impressos intrusis, audiamus ipsum Faustum Naironum disserentem: "Desunt," inquit in præfatione, "præterea in Textu Simplici et antiquo, duo versiculi, nimirum 17, et 18, cap. 22, Lucæ,† qui leguntur tam in Græcâ Editione, quam in alterâ

---

* Verba sunt hæcce: ܗܢܘܢ ܘܟܠܐ ܕܐܝܬ ܒܗ ܫܦܝܪ ܒܠܚ ܐܝܬ ܒܗ ܫܦܝܪ ܟܕ ܐܝܬ ܒܗ ܫܦܝܪ ... *Lectio quæ est de illa muliere peccatrice: quæ* lectiò *non est in simplici.*

† Quum in hâc pericope, et textu proximè sequenti, ea contineantur de sacræ cœnæ institutione effata, quæ Pontificii in suorum gratiam magnâ cum veritatis specie jamdiu contorserint, quod et nuper N. Wiseman (Horæ Syriacæ, Romæ 1828) novâ quidem methodo commendare tentavit, haud abs re fore credidi pauca ad ejus dicta hic adnotare. Horneus noster, uti videtur, ad locum Matt. xxvi. 26. verba ferè ipsa Adami Clarkii Doctiss. referens, dixerat, nullum esse morem loquendi apud Syros usitatum, quo dici potuit, "hoc est *typus* seu *symbolum* corporis mei, &c." verba verò, "Hoc est corpus meum &c." ad mentem Syrorum id semper significare. Primum negat Wiseman et rectè, si quid video. Valdè enim mutila lingua ea existimari debet, me judice, quæ hujusmodi locutionibus haud gaudeat. In conatu autem ejus glossam Pontificiis privam ad hæc loca stabilire, miserè falsus est Vir doctissimus. Inter auctores Syros ab eo laudatos primus est Dionysius Bar Salibi (p. 57.). Sed is tractatum suum contra Francos, seu Pontificios ipsos, duodecimo jam vergente sæculo (Assem. Bib. Orient. Tom. ii. p. 156, 157, 177, &c.) conscripsit, atque ad Hierosolymam misit. Hîc (p. 57,) utique, et rursus, (p. 59,) Panis vinumque, ܦܓܪܐ corpus, et ܕܡܐ sanguis Christi appellantur; atenimvero, panis nunquam in ܦܓܪܐ i. e. in *carnem* Christi mutari ab illo dicitur: quod mihi magni est sanè momenti. Et Bar Salibi ipse has locutiones mysticè accipiendas alibi docet, quod monstrare oblitus est N. Wiseman (p. 191.). "*Panem*," inquit, *oculo animæ contemplamur*: et (p. 193)—"facitque eam corpus DIVINO et MYSTICO MODO. (ܟܕ ܐܝܬ ܒܗ ܫܦܝܪ ...) Locum Arabicum (p. 59.) malè reddidit Vir edoctus. Ita enim sonat: "Illud nobis dedit... in remissionem peccatorum, *postquam id sibimet assimilaverat*: imo dixit hoc est corpus meum, at non dixit (leg. ولم يقل) hoc simile est corpori meo. i. e. Fide hoc sacramentum recipi debere, tanquam corpus ipsum meum, non tanquam ejus similitudo quævis, quod idololatria verè esset. Faciunt itaque cum Horneo omnes auctoritates doctissimi Wiseman, quamvis crisis ejus prima vitiosa fuerit. Ast mavult Vir doctissimus Philologica: Dicam igitur, explicet ille philologicè hæc sequentia. 1 Reg. xxii. 11. ܘܥܒܕ ܠܗ ܨܕܩܝܐܣ ܒܪ ܟܢܥܢܐ ܩܪܢܝܢ ܕܦܪܙܠ ܘܐܡܪ ܟܕܢܐ ܐܡܪ ܝܗܘܐ ܐܬ ܐܪܡܐ ܒܩܪܢܝ ܦܪܙܠ ܕܬܢܓܚ ܐܬ ܐܪܡܐ ܥܕ ܕܬܫܠܡ ܐܬܘܢ. "Fecitque sibi Sedecias Chananeæ filius cornua ferrea, et dicebat; Sic dicit Dominus, His feries Adumæos donec absumas eos." Necessè igitur erat, ut Ahab *his ipsissimis* cornubus feriret hostem; nam Propheta, omni abjectâ figurâ, explicitè locutus est: et, cum Regi hic sermo vernaculus erat, ita eum intellexit, omnique procul dubio, in prœlium cornutus processit! Locus alter est in Hamasæ Editione à Freytag. p. ٨٢. qui ita se habet: أَوْ تَأَمَّلْتَ رَأْسَهُ قُلْتَ هَذَا حَجَرٌ مِنْ حِجَارَةِ ٱلْمَنْجَنِيقِ i. e. *Vel caput ejus si considerasses dixisses, hic lapis (est) è lapidibus Balistæ* (propriis). Scholiastes hæc habet, قوله قلت هذا حجر يريد شبهته فقلت من كبره هو حجر المنجنيق *Locutio ejus, "dixisses hic lapis"* (est) innuit, *similitudo ejus*; atque ex magnitudine dixeris, *lapis balistæ est.*—Scholiastes Arabs itaque, eo audaciæ processit, ut diceret, *hic lapis est*, idem omninò significare atque *hic similis est lapidi!* Eodem sanè modo Saadi Poeta Persa: احوال ما برق جهانست, i. e. *res nostræ fulgur (sunt) mundi*: i. e. وچون برق جهان, *ei similes*, raptim transeundo. Eodem modo et accepit Syrus propositionem, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. ܗܢܐ ܦܓܪܝ, non ܗܢܐ ܠܐ ܦܓܪܝ, i. e. τοῦτο ἐγένετο τὸ σῶμά μου, uti vult interpretatio doctissimi Wiseman, i. e. *hoc factum est corpus meum.*

Syriacâ ex Græco translatâ, et in recentioribus Plantinianâ videlicet ac illa Poliglottæ *Et accepto Calice, gratias egit, et dixit; accipite, et dividete inter vos, dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Qui duo versiculi," addit, "IN HOC TEXTU PRÆTERMITTUNTUR, cum respiciant poculum legale Hebræorum, &c." At, sui oblitus bonus ille Faustus, ea omnia dicto loco inseruit! "Non legitur," subdit, "præterea in Textu Syriaco *simplici* historia adulteræ, quæ habetur cap. 8, Joannis, immo nec in illo translato ex Græco...invenitur tamen in recenti Textu Syriaco Poliglottæ desumpta ex codice Bibliothecæ Usserii, ut refert Brianus Waltonus....quæ cum duobus versiculis supra relatis in capite 22 Lucæ, cum extent in aliquibus exemplaribus ex recentioribus....ea omnia propriis locis inter duas cruces apposuimus, ut Lectori pateat, esse huic Textui simplici addita." ...."Similiter," pergit, "in textu Syriaco *simplici* deest versiculus 29. capitis ultimi Actorum"...."Deest ibidem cap. 5. Epistolæ Joannis versiculus septimus *Quoniam Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi Tres Unum sunt, &c.*"—Additamenta igitur majora in Textum reposuit, sc. vv. 17, 18, cap. 22. Lucæ, et Historiam Adulteræ in Joh. cap. 8. Quia fortassis ita sibi placuit: posteriora, Act, sc. 28, 29, et 1 Joh. v. 7. omisit, quamvis hic, uti is putavit, genuinus est. Alia sunt præterea quæ Editor hicce fidus, in Textum intrusit, altum de iis tamen servans silentium, sc. x. 8. ܐܩܛܘܠ, *Mortuos suscitate*, et Matt. xxvii. 35. ܘܡܬܩܠܝ ܥܠ ܓܘܪܠ ܠܒܘܫܗ ܘܥܠ ܠܒܘܫܝ ܡܪܡܝ ܘܥܠ ܟܬܘܢܬܗ ܐܫܬܕܪ ܦܬܝܠ, quæ, è notis Widmanstadianis desumpta, in textum suum lubens posuit!*

V. Conferamus demùm Caput unum, sc. Matt. v. quærendi gratiâ, qualis sc. textus se in universum habeat. Collatio hæc instituta erit cum Editione nostrâ anni 1816. Matt. v. 5. Ed. Rom. ܠܐܪܥܐ, nostra ܐܪܥܐ, nullius momenti, ib. v. 7. ܢܬܪܚܡܘܢ error typothetarum, cujus generis plures deprehendantur, pro ܢܬܪܚܡܘܢ, ib. v. 10. ܕܥܒܕܘ ribbui sine usu addita, v. 13. ܐܢܫܐ pro ܐܢܫܐ, virgulâ occultante omissâ, et puncto (ܼ) malè locato. 15, ܒܝܬܐ pro ܒܝܬܐ, error sæpiùs occurrens, 17. ܠܐ ܐܬܐ: nostra ܠܐ ܐܬܐ. "Sic monet legendum Bar Hebræus...Nestorianos vero malè legere ܐܬܐ." Jonesii Coll. Oxon. 1805, in loc. 18, ܥܕ ܡܢ, nostrâ ܥܕ sine ܡܢ: et recte; ita enim Cod. Travancorensis Buchanani. Arr. Pers. et Codices nonnulli Græci: vide Griesbachium in loco, v. 19, ܘܢܥܒܕ ܗܘ, nostra ܘܢܥܒܕ ܗܘ. Cod. Trav. Gr. Lat. ib. ܠܐ: nostra ܠܐ, nullius momenti. ib. 20, ܐܬܚܝܒ, nostra ܐܬܚܝܒ, nul. mom. 21, ܠܐ ܬܩܛܘܠ, nostra ܠܐ ܬܩܛܘܠ, ita Gr. et Editiones omnes, rectè. 22, ܕܣܬܡ, cum scribi debuit ܕܣܬܡ, nostra ܕܣܬܡ. ib. ܘܠܐܚܝܗ, nostra ܘܠܐܚܝܗ, ita et Pers. et editiones omnes: omittunt tamen ܠܗ Gr. Lat. et MSS. nonnulli. v. 29, ܡܢ ܓܘܦܟ: nostra et editiones omnes, ܡܢ ܓܘܦܟ, cum MSS. ib. 35, ܒܐܪܥܐ ܕܡܘ ܗܝ, nostra ܒܐܪܥܐ ܕܡܘ ܗܝ. cum Editis om. et MSS. codd. ib. ܕܡܘ ܗܝ ܡܕܝܢܬܐ, nostra ܕܡܘ ܗܝ ܡܕܝܢܬܐ, &c. 37. ܡܢ ܒܝܫܐ ܗܘ ܕܡܠܬܟܘܢ ܠܐ ܠܐ ܠܐ, nostra ܡܢ ܒܝܫܐ ܗܘ ܕܡܠܬܟܘܢ ܠܐ ܠܐ ܠܐ. cum Gr. et editis omnibus, 39, ܠܚܕ ܠܚܕ ܠܣܢܝܐ, nostra ܠܚܕ ܠܚܕ ܠܣܢܝܐ, ita Gr. et editi omnes, 40, ܠܡܬܒܥ ܟܕ, nostra ܠܡܬܒܥ ܟܕ, ita et Gr. et editi omnes, 42, ܠܐ ܬܗܒ ܠܟ, nostra ܠܐ ܬܗܒ ܠܟ, ita Gr. editi omnes et Codd. Syr. 44, ܠܡܒܪܟ ܠܘܬ ܠܡܨܠܝ ܥܠ, nostra ܠܡܒܪܟ ܠܘܬ ܠܡܨܠܝ ܥܠ, ita edit. omnes: sed varietas exigui est momenti.

VI. Ex his satis clarè apparebit, cuivis saltem in istiusmodi rebus vel leviter exercitato, hanc Editionem è codicibus antiquis emendatissimisque neutiquam manâsse. In locis nonnullis, præterea, versiculos legimus è Psalmis quosdam, lectionum capitibus præfixos, qui cum textu facillimè confundi queant, præsertim in manibus popularium Maronitarum, in quorum usum impressa fuit hæc editio. Ad hæc, frequentioribus quàm licuit, defœdata est erratis typographicis. Puncta vocalia in multis omittuntur, immò in nominibus propriis, quorum itaque vera prolatio nemo sciverit: et, quod maximè dolendum, ubi illa appinguntur, nullâ lege astrictus, arbitrarium se omninò prodit Editor. Forma est folio, ut aiunt, et in Tomos duos dispescitur. Pagina in duas columellas divisa est; harum altera textum Syriacum, altera versionem Arabicam, literis tamen Syriacis descriptam, complectitur; quæ tamen textum Syriacum sexcenties deserit; undè mihi suspicio exorta est, Versionem non è textu Syriaco, verùm è Coptico Egyptiorum fuisse desumptam. Editor in suâ præfatione nos equidem ita admonet; "Arabica versio tam Veteris quam Novi Testamenti post Saracenorum ingressum in Syriam promanasse colligitur ex illâ tam Christianorum quàm Judæorum, *Prima enim versio est Johannis Episcopi Sevilliensis circa annum Christi* 717. Secunda est Pentateuchus Arabicus Rabbi Saadiæ, quæ nono post Christum sæculo floruit, quorum meminit Brianus Waltonus in Proleg. ad Poliglottam, ex quibus facilè deprehenditur versionem Arabicam esse recentem, cujus duæ modo extant Testamenti novi apud Christianos Orientales

---

Neque desunt Syri, iique magni nominis viri, qui testantur sacram cœnam esse *Mysticam rationalem atque administrationem Sacrificii incruenti.* (Vide Assem. Bib. Orient. Tom. i, p. 479—483.) Ubi elementa ܐܣܪܪ, *mysteria* nuncupantur, atque universo cœtui distribuenda. Hæc fortassis ceu Philologica, hâc de re facientia, sufficiant.

* Ad textum hujus Editionis, alteram nuperrimè emisit clariss. Baro de Sacy, Professor Linguarum Arabicæ et Persicæ in Academia Parisiensi. Nullas curas criticas adhibuit vir doctus, neque textum à sphalmatibus Typographicis usque adeò immunem in lucem emisit, atque à tali viro expectari licuerit. Unius tantum plagulæ accipe hæcce. Luc. c. v. 13. ܐܠ pro ܐܠ ib. v. 27. ܠܝ pro ܠܝ ib. 29. ܟܬ pro ܟܬ ib. 31. ܒܫܒܝܩܐ pro ܒܫܒܝܩܐ 34. ܒܝܪ̈ܟ̈ܐ pro ܒܝܪ̈ܟ̈ܐ, ut alibi, ib. 36. ܠܐ pro ܠܐ 37. ܐܚܪ pro ܐܚܪ. ib. 38. ܕܡܢܝ̈ܢ pro ܕܡܢܝ̈ܢ. c. vi. 1. ܕܡܬܚ̈ܙܝܢ pro ܕܡܬܚ̈ܙܝܢ. ib. v. 9. ܒܝ pro ܒܝ, ib. 10. ܐܠܟܝܗ pro ܐܠܟܝܗ. Item in titulis lectionum sæpiùs. ܫܒܬ, pro ܫܒܬ sine ribbui. Similitudine literarum præterea sæpè deceptus est vir doctiss. e. g. Marc. x. 30. ܒ pro ܒ. ib. v. 42. ܕܡܬܚܫܒܝܢ pro ܕܡܬܚܫܒܝܢ (puncto ' etiam malè locato): crebro punctorum diacriticorum errore, ut ib. 34. ܡܬܢܣܩ pro ܡܬܢܣܩ: falsis nonnunquam punctis: ut, xi. 17. ܒܫܡܗ pro ܒܫܡܗ: at, omnium sæpissimè, malâ vocalium positione; uti suprà; item Marc. xi. 13. ܒܥܠܝ pro ܒܥܠܝ. ib. 27. ܐܠܝ pro ܐܠܝ. &c. In columellis Arabicis, Syriacis è regione adjunctis, sæpissimè erratum in omissione (ـّـ) *tanvin*, (ـّـ) *teschdid*, et (ـّـ) punctis nomina feminina distinguentibus, adeò ut haud rarò ambigat Lector præsertim indoctior, an ܐ illud, punctis hisce destitutum, pronomen fuerit masculinum necne.

versiones,* una *Antiochena*, altera *Alexandrina*, et hæc ultima videtur communior, editaque legitur Arabicis characteribus, in Bibliis Parisianis, et Anglicanis, et hanc, quæ in præsenti Syriacis caracteribus (characteribus) in lucem prodit, Romam detulit ex Cypri Insulâ Michaël Metoscita, quæ cæteris, quas præ manibus habuimus, *correctior est, ac emendatior.*" Et paullò ante. "Quod autem pertinet ad Textum *Arabico-Carsciunicum*" (ita appellant scripta quævis, quæ linguâ Arabicâ literis autem Syriacis exarata sunt) qui primâ vice in præsenti editione in lucem emittitur, &c."

VII. Undè hæc, de Versione Arabicâ Episcopi Sevilliensis hauserit Faustus, non dixit; fortassè è traditione popularium suorum; et, idcirco haud magni haberi oportebit. De duabus versionibus satis clarè loquitur vir doctus;† atqui, harum utram in suâ editione expresserit, silet: hoc tantum dicit, exemplar ex Cypri Insulâ Romam fuisse delatum. At cum dixerit, Textum Arabico-Carsciunicum, nunc demùm primâ vice in lucem fuisse emissum, post iteratas curas in Poliglottâ (ut ait) versionis Alexandrinæ, colligi potest, textum hîc Carsciunicè impressum, Versionem dare Antiochenam. Comparatione tamen factâ, luce clarior evadet, Editionem hancce quoad Evangelia saltem, non versionem Antiochenam sed Alexandrinam sistere.

*Collatio Textûs Erpenii Leidæ.* Ann. 1616. *cum Textu Romæ.* 1728.
Matt. i. 18.

Rom. ومولد يسوع المسيح هكذا كان لمّا خُطبت مريم امّه
Erp. ومولد يسوع المسيح هكذا كان لما خطبت مريم امه

Rom. ليوسف قبل ان يتعارفا وجدت حبلي من روح القدس
Erp. ليوسف من قبل ان يعترفا وجدت حبلي من روح القدس

Rom. وكان يوسف خطيبها صديقا ولم يريد ‡ ان يشهرها
Erp. ويوسف خطيبها لما كان صديقا لم يرد ان يشهرها

Rom. وهّم بتخليتها سرّاً وفيما هو مفكر في هذا اذ ظهر له ملاك
Erp. وهم بتخليتها سرا وفيما هو مفكر في هذا اذ ظهر له ملاك

Rom. الرب في الحلم قايلاً يا يوسف ابن داوود لا تخاف § ان تاخذ
Erp. الرب في الحلم قايلا يا يوسف ابن داود لا تخف ان تاخذ

Rom. مريم خطيبتك فان الذي تلده هو من روح القدس
Erp. مريم خطيبتك فان الذي ولد فيها هو من روح القدس

Rom. وستلد ابنًا وتدعي اسمه يسوع وهو يخلّص شعبه من خطاياهم .
Erp. وستلد ابنا وتدعي اسمه يسوع لانه يخلّص شعبه من خطاياهم

Rom. وهذا كله كان ليتمّم ما قيل من الرّب باشعيا
Erp. وهذا كلّه كان لكي يتم ما قيل من قبل الرّب بالنبي

Rom. النبي القايل هاهوذا العذري تحبل وتلد ابنًا ويدعون اسمه
Erp. القايل هاهوذا العذاء تحبل وتلد ابنا ويدعي اسمه

Rom. عمنوايل .
Erp. عمانوييل .

VIII. His perpensis, nemo fortassis inficias ire poterit, has duas Editiones textum unius ejusdemque versionis dare. Erpeniana omni procul dubio Versio Alexandrina est: ut Doctissimus Michaëlis ejusque Interpres Marshius dudum affirmârunt: pari ratione et Romana Alexandrinam versionem dabit. Idem ‖ præterea Michaelis ostendit, Editionem Erpenianam, in Actibus Apostolorum cæterisque libris, exceptis Evangeliis et Apocalypseos Libro, versionem Textûs Syriaci, sive Antiochenam sistere. Errat igitur Editor Romanus affirmans, hanc versionem primò in suâ editione lucem vidisse.

IX. Sed neque Erpenianâ correctior est: etenim multis glossis solæcismisque scatet: et, vel loco suprà citato, à Syriaco magis vagatur. e. g. v. 19. Syrus habet. ܒܥܠܗ ܗܘܐ ܙܕܝܩܐ ܘܠܐ ܨܒܐ ܠܡܦܪܣܗ, *Josephus igitur maritus ejus justus fuit, et noluit ut eam exponeret.* Cui Arabs Erpenianus ferè verbum de verbo: ويوسف خطيبها لما كان صديقا لم يرد ان يشهرها. *Josephus igitur, maritus ejus cum fuit justus, noluit ut eam exponeret.* Romanus verò in diverticula abit: وكان يوسف خطيبها صدقا ولم يريد ان يشهرها. *Fuit igitur Josephus, maritus ejus, justus, et noluit ut eam exponeret:* ubi et لم يريد adversus regulas Grammatices Arabicæ apertè pugnat. Glossematum vulgarium exemplum accipe è Capite I. Epist. ad Hebræos, ubi textus Romanus ita se habet, v. 3. وهو ضيا مجده وصورة ازليّته . وماسك وضابط الجميع بقوّة كلمته . بذاته واقنومه تولّي تطهير خطايانا. Erp. emendatiùs, وهو ضياء مجده وصورة ازليته وممسك للجميع بقوة كلمته وهو باقنومه تولي تطهير خطايانا cui penitùs consentit textus Syriacus, ܘܗܘ ܙܝܘ ܕܫܘܒܚܗ ܘܨܠܡ ܟܝܢܘܡܗ ܕܐܒܗ . ܘܣܡܟ ܟܠ ܫܘܠܛܢ ܒܡܠܬܗ . ܘܥܒܕ ܬܕܝܬܗ ܕܟܝܬ ܥܠ ܚܛܗܝ ܥܠܡ . "*Qui ipse est splendor gloriæ ejus, et imago essentiæ ejus: et sustinet omnia virtute verbi sui, ipseque per seipsum fecit purgationem peccatorum nostrorum.*" Voces illæ وضابط et بذاته, sunt omninò adscitæ: prior è Liturgiis, in quibus sexcenties occurrit; altera è metaphysicis tractatibus Orientalium, desumitur: uti statim quisque videbit. Hallucinatur igitur Editor, tantum non in omnibus. Atqui, cum viri quidam docti, omne quodcunque Syriacum è Vaticano prodiens, laudibus ad cœlum usque evehere assolent, operæ pretium existimavi, Tironum gratiâ, hæc qualiacunque examina in medium proferre.

X. Ad editionem nostram (anni sc. 1816.) quod attinet, dicere liceat, nullis nos laboribus pepercisse, ut ea quam emendatissima in lucem prodiret. Textum Leusdeni et Schaafii fundamenti loco posui. Codices deindè Manuscriptos quotquot undique corradere licuit, perspexi, immò à capite ad calcem

* "Multæ Novi Testamenti versiones sunt," inquit clarissimus Michaelis, 'præter eas quæ impressæ in lucem prodierunt." (Introd. ad Nov. Test. Vol. ii. pt. 1. ed. 1802. p. 82.) Dixerim, multò faciliùs hoc affirmatum esse quam demonstratum: etenim mihi valdè incertum est, num vel *duæ* inter exemplaria omnia deprehendi queant. Idem dixerat Waltonus in Proleg. in Bib. Pol. Lond. 14. §. 17. at, nullâ auctoritate citatâ.

† Omnia sanè à Prolegomenis Waltonianis mutuatus est Vir Doctiss. Videatur Proleg. 14. §. 14. in Bib. Pol. Lond.

‡ Perperam pro يرد.

§ Err. pro تخف.

‖ Introduction to the N. Test. Vol. ii. part 1. p. 90. Ib. part 11. pp. 604, 605.

diligens contuli: quorum equidem collationes, me antehâc edidisse posse speravi: at, quùm tantum improbum impendere laborem, æsque expendere, missâ omni remunerationis spe, impar essem, collationes adhùc inter schedas meas collectæ, in posterum edendæ, si Deus mihi otium viresque concesserit, servantur.* Varietates Lectionis, his collationibus repertas, parcâ quidem manu usurpavi, atque, omnibus cujusque loci circumstantiis maturè consideratis, consultoque Viro quodam doctissimo mihique amicissimo, in Textum reposui. Plagulas iterum iterumque perlustravimus; et Lectiones eas, quæ verè ad Versionem Peschito haud pertinere deprehendimus, omnes aut ad calcem paginæ amandavimus, aut in textu, uncinis inclusas, locavimus, aut denique, è textu penitùs extrusimus. Textum in Lectiones Ecclesiis Jacobitarum proprias dispescuimus, Capitum versuumque divisionibus in marginem religatis, ubicunque ea (Capita) cum Lectionis Ecclesiasticæ divisionibus non conspirarint: hanc demùm ob causam, quia sc. Editio in usum Syrorum Malabarensium Jacobitarum procurata est.

XI. Lectiones omnes in Textum repositas, hujus loci non est ad trutinam revocare. Hoc tamen dixerim, nullam sanè lectionem in textu hujus Editionis reperiri posse, nisi quæ et in Codicibus ipsorum Syrorum reperiatur, bonitatisque suæ speciem demùm probabilem præ se ferat. Absolutum omninò esse hujus editionis textum, non est meum gloriosiùs prædicare: hoc tantum affirmârim: vires meas qualescunque in eam eo usque fuisse intentas, ut nihil perficiendum, uti mihi quidem visum fuit, intentatum, imperfectumque, relictum esset.

XII. Quædam ad hanc editionem adnotavit D. J. Leonhard Hug,† quæ mihi parum accuratè dicta videntur, atque ideò digna ut expendantur. "Darunter sind," inquit, "einige Nestorianische, wie sich aus 1 Kor. v. 8. &c." At pace viri doctissimi dixerim: nimis præcipites dudum in hanc conclusionem se Viri doctissimi dederunt. Jacobitæ enim æque ac Nestoriani, fermentato utuntur pane etiamnum in Oriente: ut vel ex Assemano‡ discendum est: nulla igitur hinc exstitit causa, cur lectio (sc. ܣܥܕܢ) Nestorianis potiùs quam Jacobitis adscriberetur. Edito præterea Viennensis, atque post eam multæ aliæ eam tuentur; quod et faciunt codices à nobis collati, iique non Nestoriani, omnes. Utrum verò lectio hæc antiquissima sit et genuina ambigi potest: sed, nulla pro alterâ (i. e. ܠܐ ܣܥܕܢ,) quod ego sciam, auctoritas nisi conjecturalis proferri potest. Adlerus,§ satis scio, hanc ceu notam Nestorianismi certissimam sumpsit. "Maxima," inquit, "hujus Nestorianorum recensionis discrepantia in eo consistit, quod loca nonnulla sacri contextus ad dogmata *Nestorianorum vel Eutychianorum* accommodata videantur." &c. Sed, quare Nestorianos cum Eutychianis, tanquam ejusdem criminis reos, connumeraverit Vir doctus, sanè nescio: cum certo certius est eos, alterutros tantum non in omnibus, ex adverso opponere. Iidem enim sunt Eutychiani cum Jacobitis, in maximis saltem: atque, ii si iisdem utuntur cum Nestorianis lectionis sacræ corruptelis, undè oriri potuit distinctio illa ab Adlero in medium prolata? Dato tamen veritatis aliquid in asserto Adleriano suprà laudato inesse: dixerim tamen, eum rem non eo usque examinâsse, ut omnem dubitationis aleam eximere potuerit. Neque mihi posthac dubium restabit, an lectio suprà notata æque Nestorianis ac Jacobitis sive Eutychianis communis fuerit, necne.‖

XIII. Aliam lectionem malè, uti mihi videtur, reportavit Hug. "Eine andere Leseart," inquit, Hebr. ii. 9. χωρὶς θεου, "welche man fur Nestorianisch hält, scheint der Herausgeber nicht in seinem Manuscripte begegenet zu haben." Lectio autem ita se habet: ܕܢ ܒܥܕ ܟܠ ܐܢܫ ܛܥܡ ܡܝܬܐ h. e. *Ipse autem, gratiâ Dei, pro omni homine* (i. e. omnibus) *gustavit mortem.* Acsi Græca, αὐτος γὰρ χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου, expressisset: sed et ita Cod. Malabarensis textum sistit.

XIV. Lectionem aliam, mihique magni momenti, dat Ac. xx. 28. ܕܐܬܬܐ ܕܐܠܗܐ, "*Ecclesiam Dei*," quam et Cod. Malabarensis, et alius pervetustus Oxonii servatus,¶ necnon cod. Vaticanus, omnes habent. Cæteras in aliam occasionem expendendas differo: unum tantummodo Lectoribus suggero, Textum sc. hunc Bagsterianum, Widmanstadianum Viennensem in omnibus exhibere, præterquàm in punctis vocalibus, quæ is parciùs dabat: in his enim hic, illi anni 1816, in omnibus respondet: lectionis varietates verò inter utramque deprehendendas, in appendicem relegatas reperiet Lector.

De critico hujus Versionis usu videatur "Introductio ad Novum Testamentum, Auctore clarissimo Michaeli, à Marshio edita, Tom. ii. pars i. § ix. et adnotationes Editoris Doctiss. in parte ii.

---

* Dudum pollicitus sum me eas editurum, impensis Delegatorum Societatis Regiæ Asiaticæ ad promovendas Librorum Orientalium Translationes. Sed et Codices omnes quotquot adire possim, præsertim Richianos in Museo Britannico adservatos, conferre decrevi: faxit Deus, ut in literarum sacrarum maximè Syrarum subsidium id quantocyus, peragere possim. At, quùm de Richianis codicibus quædam animadvertat, N. Wiseman, (Hor. Syr. p. 140.) haud abs re fore credidi hîc pauca subjungere. "Quum," inquit is, "in populari Angliæ Senatu, de emendis Codicibus *Richianis* causa ageretur, selectique Curatores fuissent qui rem peragendam viderent, testes applicati sunt qui de valore pretioque Codicum ferrent sententiam. Inter Codices ergo Syriacos numeratos video à Viro Doctiss. *Sam. Lee*, Arabicæ linguæ apud Cantabrigienses Institutore, *Versiones Biblicas Nestorianorum et Jacobitarum.* Hæc annoto," addit, "ne quis verbo minus accurato inducatur in errorem; non enim *Versionem* a nostra discrepantem adhibent vel Jacobitæ vel Nestoriani." Non possum equidem, quin grates Viro Doctiss. persolvam, et idem procul dubio literarum Respublica, humanitati ejus lubens præstabit. Atqui suggerere liceat, hujus benè gnarus fui, antequàm me sibi Vir doctus hoc favore devinxit. Undè tamen *Verbum minus accuratum* progerminaverit nescio: hoc satis scio, me testimonium de his Codicibus verbis accuratis dedisse, dixisseque, non *Versiones* sed *Editiones*, &c. In notulis, in calce paginæ scriptis, hæc præterea habemus. "Quoad loca ista, jam rem effecit Adlerus ... si sermo sit de N. T. *In Vetere vero quænam sunt hujusmodi loca?* Respondeo: Certum est textum Veteris Testamenti, uti suprà notatum, in multis esse mutilum, vitiosum. Fieri potest igitur, ut collatione cum exemplaribus Nestorianorum factâ, ex his quædam saltem corrigerentur. Quænam igitur loca sint, adhùc perquirendum est. Sed dabit loca sui oblitus Doctissimus Wiseman: ad paginam Hor. Syr. enim ita se habet: "Talia exempla colligere facili ratione possem, pluraque jam collegeram, sed statim, factâ collatione, vidi sæpius longe *a Nestorianis lectionibus* recedere Codd. nostros, vulgatoque adhærere exemplari." Dat invitus, itaque Vir doctiss. esse Lectiones Nestorianis proprias etiam in Vetere Fœdere: et quis inquam auctoritatem jucundiorem ei subministrare posset? Non dixerim.

† Einleitung in die Schriften des Neuen Testaments. Stuttgart. 1826. Erst. Theil. p. 376.

‡ Bib. Orient. Tom. ii. p. 182, &c.

§ De versionibus Syris. Hafniæ. 1789. p. 35.

‖ Adlerus, in p. 39. ita præterea pergit: "Interim vestigia recensionis Nestorianorum haud obscura in editionibus syriacis reperiuntur, tam in primâ Viennensi, à Widmanstadio, opera Mosis Meredinensis edita, quam in recentioribus. Non solum desunt," addit, "in illa priori editione historia mulieris adulteræ, &c. &c. sed etiam 2 (1) Cor. v. 8. legitur ܣܥܕܢ &c. quam lectionem in nullis nisi Nestorianorum codicibus adhuc repertam fuisse, supra animadverti, &c." In his vestigiis hæret Doctiss. Wiseman. Hor. Syr. 107. Sed pace utriusque dixerim: I. Anne quis indè inferre queat, Editionem hanc Nestorianismum sapere, eo quod historiam adulteræ, &c. minimè agnoscat? II. Annè quis adhùc demonstravit, lectionem illam ܣܥܕܢ sc. in Jacobitarum codicibus non reperiri? Moses Meredinensis, ut omnes nôrunt, sectæ Jacobitarum assecla fuit, uti ipse Adlerus testatur: (p. 40.): codex præterea noster Malabarensis, ut posteà patebit, Jacobiticus est. Nulla igitur ratio adduci potest, quæ id evincat, lectionem sc. hancce, Nestorianorum privam esse.

¶ In Biblioth. Bodl. notatus Dawk. 2. vide Hug. p. 377. Adleri Vers. Syr. pp. 17. 36.

## SECTIO V.

*De versionibus Syriacis, Philoxenianâ et Hierosolymitanâ.*

I. Quum de his versionibus Viri Doctissimi, de Philoxenianâ sc. Assemanus,* Ridleius,† Adlerus,‡ Michaelis;§ de Hierosolymitanâ, verò, Adlerus,‖ et Michaelis,¶ eo usque disseruerint, ut vix quicquam intactum reliquerint; et, quùm Editio Philoxeniana jam omnibus ob oculos est, quo usque demùm ad manus nostras pervenerit, supervacaneum duximus, quæstionem illam denuò tractare: præsertim cum Editio hæcce Versiones illas non complectatur. Lectores igitur, his de rebus quærentes, ad opera Virorum illustrium suprà memoratorum, ultrò remittimus.

## SECTIO VI.

*De Versionibus Arabicâ sc. et Persicâ ex Peschito Syrorum, factis.*

I. De Versionibus Arabicis, nemo quod sciam, tam impressis quam et manu exaratis in Bibliothecis latentibus,** ex professo adhuc tractatus est. Multas versiones exstare ferè omnes asseruerunt, uti anteà observatum, nemo probatum dedit. Optandum igitur, ut Vir aliquis eruditus, atque in Codicibus MSS. excutiendis exercitatus, hanc Materiam penitiùs tractandam in se suscipiat:—Qui interim hâc de re perquirere cupiant, Waltonum†† nostrum adeant, neminem, ni valdè fallimur, eo copiosiorem accuratioremque reperturi. Videantur, præterea Marsh's Michaelis, Vol. ii. pt. i. § xv. xvi. cum notis Translatoris; Bibliotheca Hebræa Wolfii, Tom. ii. p. 437. &c. Carpzovii Critica Sacra. Pars II. cap. viii. p. 640, &c. Histoire Critique du Vieux Test. par R. Simon. Liv. ii. chap. xvi. Qui in notulâ (p. 282. Ed. 1685.) paullò ab asserto Waltoni discrepat, asserens, Libros omnes Historicos V. T. in Polyglottis impressos, Archetypum Hebraïcum sequi: cum Ille, Pentateuchum et Librum Josuæ tantummodo, textum Hebraïcum sequi affirmet. Cæteros τῶν ὁ translationem exprimere dicit Simonius; Waltonus verò Librum Jobi, Syriacam. In aliis uterque Arabem, textum τῶν ὁ transtulisse, affirmat. Dificile tamen est admodum definire, quando Arabs Syriacum non Hebraïcum, et ex adverso Hebraïcum, non Syriacum, secutus fuerit; uterque enim iisdem ferè verbis, et sæpè phrasibus, usi sunt.—At hæc obiter.

De Evangeliis Persicis in Polyglottis Anglicanis impressis, optimè disseruerunt Gravius et Clarkius Oxonienses, qui Editionem Waltonianam notis suis eruditissimis, in Tom. vi. Pol. Lond. adornârunt. Videatur, præterea, Prol. 16. Waltoni. § vi. &c. Edit. Wrangham, 1828. Nuperrimè tamen Adamus Clarkius, vir, cæteroquin pereruditus, hypothesin de origine hujus versionis contra mentem Virorum suprà laudatorum novam, atque, uti mihi videtur, parum stabilem, exstruxit: Missionarii sc. cujusdam Pontificii eam fœtum esse. De hâc verò hypothesi sententiam nostram qualemcunque ibidem protulimus. Vide Excursum, ab Eruditissimo Wrangham de Persicis Versionibus, ad finem, Prol. 16. conscriptam, conferantur præterea adnotata Doctissimi Grævii supra laudata.

---

# PROLEGOMENON IV.

## SECTIO I.

*De Septuaginta Græcorum versione virali.*

I. Nemo fortassis ratem suam Pelago scopulosiori, quàm se utique quæstio de Septuaginta Versione virali exhibuit, unquam commisit; ac ne naufragium et ipse experiundo faciam, multa sunt quæ me suadent; haud pauca quæ penitùs deterreant. Cùm enim admodum sunt pauca hâc de quæstione verè historica, quæ ad manus nostras pervenerint, a que Viri indè ingenio doctrinâque pollentes has conjecturis lacunas

---

* Biblioth. Orient. Tom. ii. p. 10—46.

† Dissert. de Vers. Syr. §. iii. &c.

‡ De Vers. Syr. Lib. ii.

§ Introd. ad Nov. Test. Tom. ii. pars i. cap. vii. §. xi.

‖ De Vers. Syr. Lib. iii.

¶ Introd. ad Nov. Test. Tom. ii. pars. i. cap. vii. §. xii.

** Duo Evangeliorum exemplaria Arabica antiqua et bona, in Bibliothecâ Cantabrigiensi Academicâ, hodie adservantur, quæ ut Doctis innotescant mihi omninò digna videntur. Utrumque Cyrillo Alexandriæ Patriarchæ olim peculium fuit. Antiquissimi eorum, punctis plerumque vocalibus instructi, hæc est epigraphe: وكان الفراغ من نسخ هذا الكتاب في سادس عشر من بوونه سنة ثمان وثمانين وتسع ماية للشهدا الابرار. وكتب هذا الكتاب من نسخة ذكر ناقلها من نسخة محررة بخط يوحنا اسقف قفط. وذكر يوحنا المذكور انه نقلها من نسخة محررة قابلها الشيخ نش الامام بن عز الكفاه. والمجد لله دايما ابدا. H. e. *Fuit cessatio à describendo hunc Librum* (die) 16 *mensis Bauna. anno* 988 *Martyrum sanctorum.* (A.D. 1272.) *Et descriptus est hic liber ex exemplari, cujus descriptor memoriæ prodidit, se id ex exemplari à manu Johannis Episcopi Coptorum scripto, descripsisse. Dixerat præterea Johannes memoratus, se hoc descripsisse ex exemplari manuscripto, quod Senex Nash Antistes ille, filius Iz El Kafah, contulerat. Laus Deo perpetuò, sempiternè.*—Hunc Codicem Erpenii quondam fuisse, mihi multa suadent. 1. Librorum ejus multos si non omnes, Dux Somersetensis Academiæ nostræ olim Cancellarius emit, atque in Bibliothecam Publicam poni curavit. 2. Hanc ipsam Epigraphen Erpenius mihi videtur vertisse; cujus versiò hæc est, in præf. ad Nov. Test. ejus Arabicum. "*Absoluta est hujus libri descriptio die* 16 *mensis Baunæ, anni nongentessimi octogessimi octavi Martyrum Justorum. Descriptus autem est ex emendatissimo exemplari cujus descriptor ait se descripsisse ex alio exemplari emendato, exarato manu Johannis Episcopi Cophtitæ; qui Johannes dicit, se suum descripsisse ex exemplari emendatissimo, quod ediderat* D. NESIULAMAM F. AZALKEFATI." Hæc, quamvis Arabicis valdè dissimilia, eo similitudinis gaudent, ut vix aliundè prolata esse possunt, meâ quidem sententiâ. Errores cæteris adnotare relinquo. 3. Marginales numeros Copticos seu Græcos canones Ammonii sistentes, quales Erpenius codicem suum habere testatus est, noster item habet; necnon partem quandam præfationis. Nullus igitur dubito, eundem hunc esse omninò codicem.—Syrum quendam hoc exemplar possedisse perquam verisimile est, nam notæ nonnullæ Syriacæ ad finem comparent. Undè et colligo, recensionem hanc Egyptiacam sæpenumerò apud Syros repertam esse. Cod. est notatus. Gg. 5. 23.—Aliud exemplar paullò recentius not. Gg. 5. 21, hanc notulam ipsius Cyrilli manu exaratam habet." 1618. primo die Septembris in Ægypto, Linguæ Arabicæ studiosiss°. B. David De Wilem. donat istum Christianæ Religionis Thesaurum, nempè Testamentum novum Arabicum Cyrillus Patriarcha Alexandriæ." Epigraphe ita se habet وكان الفراغ من نسخ هذا الانجيل المقدس فى نهار يوم الاربعا الثاني من شهر ايار سنة ست الاف وسبعماية اربعه وتسعين ... الموافق للخامس وعشرين من شهر سفر سنة اربعه وثمانين وستمايه وهو برسم خزانة الشيخ النش السيد (للسيد lego) المسيح ينقعه به امين. *Fuit cessatio à describendo hoc Evangelium sanctum, luce diurnâ diei quartæ (hebdomadis), secundâ mensis Iyyar, anno* 6794 ... *convenienti cum die vicessimâ quintâ mensis Safar anno* 684 (A. D. 1285.) *Et hoc notam habet Thesauri Presbyteri El Nash.* (dedicati) *Domino Messiæ: quocum ei prosit.* Hinc colligo, si demùm vocem النش rectè percipio, eum fuisse sacerdotem, qui bona sua Monasterio cuidam consecravit; atque Johannem Coptitam exemplar suum ad exemplar hujus sacerdotis exarâsse. Sed, ut Arabes loqui amant, الله اعلم. Deus (hoc) optimè novit: rem cæteris pervestigandam relinquo.—Hic codex vocales nunquam dat, neque Coptorum notas marginales habet: utrum hic è penu Erpenii venisset necne, nescio.—Quantum facessiverit Nesiulamam ille Erpenianus Michaelem ejusque adnotatorem Doctissimum Marshium, videbit Lector, in Vol. ii. p. 1. §. xvi. cum notis Introd. ad Nov. Test.

†† Proleg. in Bibl. Pol. 14. §. 17. et Tom. vi. ad var. lect. Errat Bengelius in Introductione in Crisin. N. T. asserens *Arabicam* Romæ editam in Polyglottis Lond. fuisse insertam. p. 409. Idem Vir doctus (ib.) plures Versiones Arabicas exstare asserit, unamque ex Æthiopicâ factam!

suppleverint, non potuit non multos hypothesibus variis innixos, alterutris obversantia multa in aciem protulisse, manusque bellantium more jamdiu conseruisse. Hoc, si quid aliud, cum primis inter Nostros Pontificiosque accidit. Hi namque Septuaginta Versionem viralem laudibus fortè nimiis extulerunt: Illi, ex adverso, eam nimium quantum pessum dederunt. Atqui, ut verum fateor, meliùs longè utrique veritati consuluissent, officioque suo fuissent functi, si ad rem propriùs, missis cavillationibus, accessissent. Nos, igitur, opinionibus præjudicatis sepositis, ad historica in primis accedamus, dein, uti anteà factum, paucula de conjecturis speciosioribus delibatum ibimus.

II. Scriptor, omni proculdubio, antiquissimus qui de LXX. virali testimonium perhibet, est Aristobulus Judæus ille nobilis, cujus meminit Clemens Alexandrinus,* et post eum Eusebius,† "Φανερὸν," inquit, "ὅτι κατεκολούθησεν ὁ Πλάτων τῇ καθ' ἡμᾶς νομοθεσίᾳ, καὶ φανερός ἐστι περιεργασμένος ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ· διηρμήνευται γὰρ πρὸ Δημητρίου τοῦ φαληρέως δι' ἑτέρων πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου, καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως,‡ τά τε μετὰ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν ἐξ Αἰγύπτου τῶν Ἑβραίων, ἡμετέρων δὲ πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια, καὶ κράτησας τῆς χώρας, καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις, ὡς εὔδηλον εἶναι τὸν προειρημένον φιλόσοφον εἰληφέναι πολλά· γέγονε γὰρ πολυμαθὴς, καθὼς καὶ Πυθαγόρας πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετενέγκας εἰς τὴν ἑαυτοῦ δογματοποιΐαν κατεχώρισεν. Ἡ δ' ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων, ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος φιλαδέλφου βασιλέως, σοῦ δὲ προγόνου, προσενεγκαμένου μείζονα φιλοτιμίαν, Δημητρίου τοῦ φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων." "*Evidentissimè Plato legem quam nos habemus veluti pedissequus est assectatus, evidenterque etiam singula quæ in illa sunt rimavit. Namque et ab aliis ante Demetrium Phalereum, quin et Alexandri, ac Persarum imperium, reddita sunt quæcunque ad exitum Hebræorum popularium nostrorum ab Egypto, prodigiaque ipsorum gratia patrata ut regionem obtinerent, universamque legis enarrationem pertinebant, ad eaque constat memoratum Philosophum inde plura sumpsisse. Multiscius enim fuit, quemadmodum et Pythagoras, qui nostra pariter in suam Philosophiam quum transtulisset abiit. Integra autem legis interpretatio facta est sub Rege cognomento Philadelpho progenitore tuo, qui summo studio id curavit, Demetrio Phalereo plurimum allaborante.*" Hucusque Aristobulus: Quæ sequuntur, mentem Philonis, hâc de re disserentis, dabunt.—

II. § Δεινὸν ἡγησάμενοί τινες, εἰ οἱ νόμοι παρὰ τὸ ἡμέτερ τμήματι τοῦ ἀνθρώπων γένους ἐξετασθήσονται μόνῳ τῷ βαρβαρικῷ, τὸ δ' ἑλληνικὸν εἰς ἅπαν ἀμοιρήσει, πρὸς ἑρμηνείαν τὴν τούτων ἐτράποντο· τὸ δ' ἔργον ἐπεὶ καὶ μέγα ἦν καὶ κοινωφελὲς, οὐκ ἰδιώταις οὐδ' ἄρχουσιν ὧν πολὺς ἀριθμὸς, ἀλλὰ βασιλεῦσι καὶ βασιλέων ἀνετέθη τῷ δοκιμωτάτῳ. Πτολεμαῖος ὁ φιλάδελφος ἐπικληθεὶς τρίτος μὲν ἦν τῶν ἀπ' Ἀλεξάνδρου τὴν Αἴγυπτον παραλαβόντων· ἀρεταῖς δὲ ταῖς ἐν ἡγεμονίᾳ πάντων, οὐχὶ τῶν καθ' αὐτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν πάλαι πώποτε γεγενημένων ἄριστος, οὗ καὶ μέχρι νῦν τοσαύταις ὕστερον γενεαῖς ᾄδεται τὸ κλέος, πολλὰ δείγματα καὶ μνημεῖα τῆς μεγαλοφροσύνης κατὰ πόλεις καὶ χώρας ἀπολιπόντος, ὡς ἤδη καὶ ἐν παροιμίαις εἴδει τὰς ὑπερόγκους φιλοτιμίας καὶ μεγάλας κατασκευὰς, φιλαδελφείους ἀπ' ἐκείνου καλεῖσθαι... ὁ δὴ τοιοῦτος ζήλον καὶ πόθον λαβὼν τῆς νομοθεσίας ἡμῶν, εἰς ἑλλάδα γλῶτταν τὴν χαλδαϊκὴν μεθαρμόζεσθαι διενοεῖτο· καὶ πρέσβεις εὐθὺς ἐξέπεμπε πρὸς τὸν τῆς Ἰουδαίας ἀρχιερέα καὶ βασιλέα· ὁ γὰρ αὐτὸς ἦν· τό τε βούλημα δηλῶν καὶ προστρέπων ἀριστίνδην ἐλέσθαι τοὺς τὸν νόμον διερμηνεύσοντας· ὁ δ' οἷα εἰκὸς ἡσθεὶς, καὶ νομίσας οὐκ ἀνευθείας ἐπιφροσύνης περὶ τὸ τοιοῦτον ἔργον ἐσπουδακέναι τὸν βασιλέα, σκεψάμενος τοὺς παρ' αὐτῷ δοκιμωτάτους Ἑβραίων, οἳ πρὸς τῇ πατρῴᾳ καὶ τὴν ἑλληνικὴν ἐπεπαίδευντο παιδείαν, ἄσμενος ἀποστέλλει." "*Exiterunt qui indignè ferrent, has leges parti tantum humani generis innotuisse, nempe solis barbaris, Græcas gentes nullum earum gustum cepisse, dederuntque operam ut verterentur per idoneos interpretes. Id opus quia magnum erat, et Reipublicæ utilissimum non privatis hominibus obvenit, nec mediocribus istis Principibus, et Regulis, sed Regi omnium longè celebratissimo. Ptolemæus fuit is Philadelphus cognomine, tertius ab Alexandro Ægypti Rex, virtutibus regiis supra omnes ætatis suæ superiorumque sæculorum princeps nobilis, cujus nunc quoque ex tanto temporum intervallo decus est inclytum, ob tot relicta per civitates, regionesque monumenta magnificentiæ, ut in proverbium abierint sumptuosa opera ab illo Philadelphea denominata... Talis princeps captus nostræ legis amore, ac desiderio, in Græcam linguam è Chaldaicâ transferendam curavit, legatis in hoc missis ad Judæorum Pontificem, penes quem tunc erat autoritas regia. Ei voluntatem suam aperuit, petens ut delectu habito ex præcipuis interpretes ad se mitteret. Qui gavisus ut decebat, ratusque haud sine divina providentia rem tantam Regi in mentem venisse, e suis Hebræis doctissimum quemque, præter patrias literas Græcis etiam eruditum, libenter misit.*"

III. Josephus in Procœmio ad Antiquitates Judæorum ita hâc de re loquitur. "Ἔτι κἀκεῖνο πρὸς τοῖς εἰρημένοις λογισάμενος οὐ παρέργως περί τε τῶν ἡμετέρων προγόνων, οἳ μεταδιδόναι τῶν τοιούτων ἠθελον· καὶ περὶ τῶν Ἑλλήνων, εἴ τινες αὐτῶν γνῶναι τὰ παρ' ἡμῖν ἐσπούδασαν. Εὗρον τοίνυν, ὅτι Πτολεμαίων μὲν ὁ δεύτερος μάλιστα δὴ βασιλεὺς περὶ παιδείαν καὶ βιβλίων συναγωγὴν σπουδάσας, ἐξαιρέτως ἐφιλοτιμήθη τὸν ἡμέτερον νόμον καὶ τὴν κατ' αὐτὸν διάταξιν τῆς πολιτείας, εἰς τὴν ἑλλάδα φωνὴν μεταβαλεῖν· ὁ δὲ τῶν παρ' ἡμῶν ἀρχιερέων οὐδενὸς ἀρετῇ δεύτερος Ἐλεάζαρος, τῷ προειρημένῳ βασιλεῖ ταύτης ἀπολαῦσαι τῆς ὠφελείας οὐκ ἐφθόνησε· πάντως ἀντειπὼν ἄν εἰ μὴ πάτριον ἦν ἡμῖν τὸ μηδὲν ἔχειν τῶν καλῶν ἀπόῤῥητον." h. e. "*Hâc etiam reputatione haud leviter permotus quod et majores olim nostri exteris sua benigne communicaverunt, et Græcorum nonnulli vehementi res nostras cognoscendi studio flagraverunt. Comperiebam siquidem, quod Ptolemæorum secundus, Rex maximè disciplinis, librisque colligendis deditus, magnopere contenderit legem nostram, reique publicæ ex eâ constitutionem in Græcum sermonem transferri, quodque Eleazarus qui virtute non inferior erat quam quisquam nostrorum Pontificum, hanc regi isti non inviderit utilitatem, negaturus omnino, nisi patrium nobis esset nihil occultum habere eorum quæ cæteris prosint.*"

Demetrii Phalerei operam et studium hâc in re, sequentia è Josepho excerpta ostendere sufficient. "Δημήτριος ὁ Φαλερεὺς, ὃς ἦν ἐπὶ τῶν βιβλιοθηκῶν τοῦ βασιλέως σπουδάζων εἰ δυνατὸν εἴη, πάντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην συναγαγεῖν βιβλία...μεμνῆσθαι δ' ἔλεγεν αὐτῷ πολλὰ εἶναι καὶ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις τῶν παρ' αὐτοῖς νομίμων συγγράμματα, σπουδῆς ἄξια καὶ τῆς βασιλέως βιβλιοθήκης... Ὡς δὲ παρῆλθον μετὰ τῶν δώρων οἱ γερόντες, ἃ τῷ βασιλεῖ κομίσαι ὁ ἀρχιερεὺς αὐτοῖς ἔδωκε... παραλαβὼν αὐτοὺς ὁ Δημήτριος, καὶ διελθὼν τὸ ἑπταστάδιον, χῶμα τῆς θαλλάσης πρὸς τὴν νῆσον, καὶ διαβὰς πρὸς τὴν γέφυραν, προελθὼν ἐπὶ τὰ βόρεια μέρη, συνέδριον ἐποιήσατο ἐν τῷ παρὰ τὴν ἠϊόνα κατασκευασμένῳ οἴκῳ. κ. τ. λ." "*Demetrius Phalereus regiæ Bibliothecæ præfectus, operam dans ut omnes, si fieri posset, totius orbis libros colligeret... sibi etiam, adjiciebat, indicatum multos esse apud Judæos, de ipsorum institutis libros, studio dignos, et Bibliothecâ regiâ.—Atque ubi seniores illi advenerunt dona secum sibi a Pontifice ad Regem tradita... Deinde Demetrius, iis assumptis, heptastadium transgressus aggerem in mari ad insulam pertinentem et transmisso ponte, quum boream versus progressus esset, congregavit eos in domum propè litus extructam, &c.*"

IV. Plura perfacile congerere possim: at, quùm pondere potiùs quam numero testium decertandum sit, eo me labore supersedere posse arbitrer. Dixerim itaque, sanè non video cur Scriptoribus hujusmodi gravissimis, fidem denegare pos-

---

* Strom. 1. † Prep. Evang. xiii. 12.
‡ Dubia quæ movit Clariss. Valckenaerus ad hunc locum videsis in ejus Diatribe pererudità de Aristobulo Judæo Lugd. Batav. 1806. p. 47, &c.
§ De Vita Mosis, l. ii.

sit quisquam, jurare in verba magistri haud addictus. Mihi equidem id evincunt, quo usque historica quævis possint, Septuaginta sc. viralem, versionem, auspiciis Ptolemæi Philadelphi, si non totam, ejus tamen partem potiorem, in Linguam Græcam fuisse versam. Major autem auctoritas, majorem forsan impetrabit fidem: Clarissimi igitur Valckenaeri sententiam dare pergo.* "Quid," inquit, "*Alexandrinus* Philo, clarus ante natum *Josephum?* non temerè dixerim legeritne libellum *Aristeæ*, an sua hauserit aliunde. Si legit, fabulas illic inventas sua certè noluit auctoritate propagatas. Historiam rei gestæ simpliciter enarrat, sat multis ille quidem verbis et eleganter suo more loquendi. Lib. de Vita Mos. &c. quorum summam si contrahas in pauca, huc redibit Philosophi Judæi narratio, maximam partem, si sola spectetur, *haud absurda*: nonnullos, Gentiles puta, Leges Judæorum cognoscere desiderantes, earumdem cognoscendarum injecisse cupidinem Philadelpho, Regum optimo, et Ptolemæorum magnificentissimo, qui mox legatis missis Judææ Pontificem rogaverit ἀριστίνδην ἐλέσθαι τοὺς τὸν νόμον διερμηνεύσοντας· Lætum Pontificem misisse Hebræorum probatissimos, qui utriusque essent Linguæ periti. Hos, cum venissent, exceptos benignè commodè respondisse ad Regis interrogata: mox opus aggressos locum ab urbano strepitu sibi semotum in insula Pharo selegisse commodissimum. Hic in loco secreto rem peregisse demandatam." "His," addit Vir κριτικώτατος, "nihil inesse puto verisimilitudinis specie destitutum: displicebunt pæne ultima *Philonis*, de horum interpretum in verbis nominibusque iisdem adhibitis admiranda conspiratione: sed hæc potuisse videtur *Philo*, prout suo tempore narrabantur a gentilibus suis Alexandrinis; scribit enim eam esse Linguæ præsertim Græcæ copiam, ut eadem sententia multiplici modo verbisque possit enunciari diversis. ὅπερ, inquit, p. 659. D. ἐπὶ ταύτης τῆς νομοθεσίας οὐ φασὶ συμβῆναι· quod in his legibus Græce vertendis factum *negant*. Monstrat mihi quidem illud οὐ φασὶ Philonis hâc de re jure dubitantis laudabilem modestiam. Suæ gentis in re sacra persuasioni si forte fuit obsequutus, de cæteris certè fabulosis *Aristeæ* nihil attigit; nec Bibliothecæ Regiæ custodis Demetrii Epistolam; neque Regis, ad Eleazarum, petentis exemplar Legis Hebraïcum; nec hujus ad Regem literas; neque LXXII Interpretes, ex singulis tribubus senos; neque Regem σχεδὸν ἕπτακις (p. xx. 15.) *adorantem* pelles sacras, quibus aureis esset literis inscripta Lex, neque cetera mendacia Aristeæ ab Hodio confutata. Nihil horum apud *Philonem* invenitur. *Philone* longe antiquior... *Aristobulus* ne Philoneæ quidem narrationi quidquam habet simile, nisi unicum illud, *factam Librorum Sacrorum interpretationem tempore Philadelphi, hanc rem vehementer desiderantis.* Id unum addit, nec negat *Philo, rem curasse Demetrium Phalereum.* Hoc in controversiam venit: prius illud nemo negavit. Ne jussu quidem Philadelphi factam versionem scribit *Aristobulus*, sed ἐπὶ τοῦ—φιλαδέλφου, προσενεγκαμένου μείζονα φιλοτιμίαν, id est μειζόνως Φιλοτιμησαμένου· *sub....Philadelpho hanc rem sic desiderante, ut in ea gloriam quæreret, atque in illam*, si quis ita velit, *largitiones faceret.* Regis μεγαλοφροσύνης et φιλοτιμίας loco quoque citato meminit Philo et Josephus in Proœmio Ἀρχαιολ. de Ptolemæo Philadelpho ἐξαιρέτως, ait, ἐφιλοτιμήθη τὸν ἡμέτερον Νόμον—εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν μεταβαλεῖν. Aliter ista Hodius interpretatur, p. 168. Φιλοτιμεῖσθαι, si quis dubitat, possitne in istum accipi sensum, adhibeat G. Budæum *Comm* L. G. p. 853, et Is. Casaubonum in L. I. *Polybii*, p. 108, quibus duumviris nemo fuit Græcè doctior. Præterea *Demetrii Phalerei* meminit, πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων· tanquam *qui hoc sibi negotii datum existimaverit*, sive *rem illam faciendam curaverit*,† &c."

V. Plura hâc de re dare supersedeo, meliora dabit qui possit. —Hodius, in opere suo absolutissimo,‡ cui et ex parte respondet Clarissimus Valckenaerus, narratiunculâ Aristeæ perabsurdâ offensus, plura demonstrare perrexit, quàm demonstratione re verâ egebant. Et quùm satis clarè apparet, Scriptores gravissimos suprà laudatos, hujusmodi superstitiosis atque omnia in miracula vertentibus, fabulis minimè fuisse innixos, mihi persuadere nequo, Septuaginta Viralem versionem auspiciis Ptolemæi Philadelphi non fuisse primitùs factam. A Recentioribus in morem ferè à temporibus Hodii venit statuere, hanc versionem primo à Judæis Alexandrinis in suum usum fuisse cusam, misso omninò Ptolemæi patrocinio. Hoc tamen, quùm in conjecturis tantummodò fundamentum omne suum ponat, omnique omninò antiquitati obversetur, nobis saltem credibile non videtur: neque absurda illa de cellulis miraculisque cæteris Aristeæ, quorum nulla meminit nedum credidit Hieronymus, mihi credenda sunt, ea Judæis eorum inventoribus penitùs relinquo.

VI. Utrum verò cæteri omnes V. Fœderis libri, tempore Ptolemæi Philadelphi Græcè fuerint redditi necne, quæstio est adhuc fortassis spinosior: quia sc. Historici minùs definitè de eâ loqui videntur. Ad me quod attinet, non possum equidem, quin sententiam Valckenaeri celeberr. hâc quoque de re meam faciam. Ejus itaque nonnulla exscribere haud pigebit, præsertim cum Diatribe suprà laudata rarior evasit, quam ut ejus copia Discentibus ubique esse posset.

VII. "Eo nunc deveni," inquit Vir clarissimus, "ut paucis videatur inquirendum, quos tandem libros suæ gentis sacros dixerit *Aristobulus* sub Ptolemæo Philadelpho Græcè conversos. Ubi video mihi dissentiendum ab hominibus eruditissimis, *Usserio*, *Salmasio*, ceterisque ab Hodio laudatis L. ii. c. 7. mallem equidem de sententia dicere *Aristobuli*, § quam de re ipsa; sed hæc adeo secum invicem cohærent, ut separari vix possint. Quæstio enim, utrum sub Ptolemæo Philadelpho sola *Lex* propriè sic dicta, seu quinque tantum *Libri Moysis*, an Libri quoque reliqui Prophetarum et historicorum fuerint Græcè conversi, si testimoniis est decidenda, tanquam historica, mihi pæne tota pendere videtur ab Aristobulo, velut omnium, qui ad nos pervenere, proximo temporibus, quibus res suam gentem spectans evenerit. Christiani Scriptores neque hic, me judice, in censum veniunt; nam, ut tanquam novi testes possent considerari, deberent antiquiorum niti testimonio. Non alios autem hac in re habuerunt, nisi quorum et nobis ea de re dicta supersunt Judæorum, *Aristeæ*, *Aristobuli*, *Philonis*, *Josephi*. Fac, *Philonem*, de sola *Lege Moysis* esse intelligendum. Sed ubinam librorum ea de re verba fecit *Philo?* In Libris *de vitâ Moysis*, ostensurus τὸ τῆς Νομοθεσίας ἱεροπρεπὲς, non Judæis solis, sed et Gentilibus admirabile fuisse visum. An hic locus erat à Lege *Moysis* sollicitè distinguendi ceterorum libros sacros, qui sunt utique Mosaicæ Legis aut totidem explicatores, aut enarra-

* Diatribe citata, p. 50.

† Plura contra Hodium dabit Vir celeber. de Demetrio Phalero. p. 55, &c.

‡ Humfredi Hodii...de Bibliorum Textibus originalibus Oxonii 1705, Opus sanè dignissimum ut ab omnibus harum rerum Studiosis iterum iterumque perlegatur.

§ Venerabilis mihique maximè æstimandus Archidiaconus Wrangham, in splendidissimâ suâ Prolegomenων Waltonianorum Editione, ita de Aristobulo loquitur. (Tom. ii. p. 5, &c.) "Ad librum ejus confirmandum non solùm Aristeam Waltonus, sed Aristobulus quoque (quicum alium in 2 *Macc.* memoratum, confundit, &c." "Horum omnium—Aristeæ sc. Aristobuli, Philonis, Josephi, Patrumque Veterum testimonia simùl ac semèl rejicit Du Pin *(Complete Hist. of Can. of Script.)*; negatque etiam Prideauxius exstitisse commentariorum in Pentateuchum Scriptorem Aristobulum; Pseudo-Aristobuli cujusdam mendacia secundo post Christum (ut Hodio quidem videtur) sæculo conflata Clementem Alexandrinum atque Eusebium, falsâ specie deceptos, pro veris citâsse arbitratus." Fallitur tamen Ven. Wrangham; Eusebius enim, non Waltonus, suâpte sententiâ Aristobulum eundem atque is qui Maccabæorum Lib. 2. memoratur, facit his verbis:... αὐτὸς (i. e. Ἀριστοβουλος) ἐκεῖνος οὗ καὶ ἡ δευτέρα τῶν Μακκαβαίων ἐν ἀρχῇ τῆς βίβλου μνημονεύει. Præp. Evang. viii. p. 375. Falluntur præterea Doctissimus Prideaux, &c. qui cum eo sentiunt, nisi semel valdè deceptum reddere voluisset Clarissimus Valckenaerus in Diatribe suâ suprà laudatâ, pp. 35, 36, &c. ubi "de Aristobulo, *cujus fit mentio* II. Maccabæicorum, &c." ex professo agit. At cum ea quæ dixerit spatia nostra excedant, Lectorem ad Diatriben ipsam necessariò remittimus.

tores beneficiorum sive pœnarum, quibus sub *Lege Moysis* viventes secundum istam legem fuere mactati? Nec negari potest Libros Prophetarum, Historicorum, ceterorumque sacros sub *Legis* sæpe nomine fuisse comprehensos. Sed hoc factum negat *Hodius*, p. 160. antè Evangelium prædicatum: quia scilicet antiquiorum loca non fuerant eam in rem prolata, neque usitatum fuisse censuit. Sed et hic ex duobus tantum excitari potuissent. *Josephus* et *Philo* an Legem, Prophetas, et Hagiographa tam sollicita cura distinxerunt, ut Rabbini recentiores, quorum in rebus vetustis tam exigua est auctoritas? *Paulum* equidem crediderim veteri more suæ gentis in hunc sensum generalem vocem *Legis* adhibuisse, Νόμου, Epist. *ad Rom.* iii. 19. et alibi, *Joannem* etiam plus semel in *Evangelio*, quorum eam in rem loca collegit Io. Drusius in Scholio ad cap. xi. l. ii. *Responsionis ad Minerval Serrarii* Jesuitæ, qua, nec mirum, vexatus remordet. In istum locum Epist. ad Rom. Joannes Chrysost. initio Homil. vii. *τίνος*, inquit, *ἕνεκεν οὐκ εἶπεν, οἴδαμεν ὅτι, ὅσα ὁ Προφήτης λέγει, ἀλλ', ὅσα ὁ Νόμος λαλεῖ; ὅτι τὴν παλαιὰν πᾶσαν Νόμον καλεῖν εἴωθεν ὁ Παῦλος.—ἐνταῦθα τοὺς ψαλμοὺς Νόμον ἐκάλεσεν.* Addit Theophylact. *καὶ τὰ τοῦ Ἡσαΐου*, sed cujus etiam paulo ante meminerat *Joannes Chrysostomus.*—Ista ratione per *Legem* totum Librorum Sacrorum Pandecten intelligere potuit *Aristeas.*—Maluit tamen, ut opinor, *Josephus*, in sua narratione solos intellectos libros *Moysis;* atque ita verba *Josephi* ex Proœmio *Ἀρχαιολογίας* libenter cepit Hodius, p. 165, prout illa, si hominem bene novi, accipi voluit auctor ipsemet. In isto namque Proœmio *Josephus* summo studio desiderasse Ptolemæorum scribit secundum in Græcum sermonem conversam Judæorum Legem, *τὸν ἡμέτερον Νόμον, καὶ τὴν κατ' αὐτὸν διάταξιν* * *τῆς πολιτείας.* Neque hoc tantum boni Pontificem Eleazarum invidisse Regi; se vero libenter imitaturum Pontificis *τὸ μεγαλόψυχον* neque enim Regem istum suo studio accipere potuisse *πᾶσαν—τὴν ἀναγραφὴν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ Νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν.* Esse autem (præterquam in Lege) *μυρία τὰ δηλούμενα διὰ τῶν ἱερῶν γραμμάτων· quippe quæ*, sacræ Literæ, *complectantur historiam quinquies mille annorum.* Atque illud omne his literis sacris narratum discere posse, qui hanc suam perlegerit historiam. Acutè fateor excogitatam et speciosam Is. Vossii conjecturam in *Respons. ad Objecta Criticæ Sacræ*, p. 130. Verba mihi tamen *Josephi* sic cum Hodio videntur aliisque capienda, ut Lectoribus persuasum voluerit, solam Legem Moysis duntaxat Græcè tum conversam et cum Ægypti Rege communicatam: et in his ipsis tamen ab *Hodio* valdè dissentio. Suum *Josephus* laborem proxime sequentibus verbis commendatum voluit; atque illud potentissimis, quos habebat Romæ, patronis insinuatum, Ægypti Regi hac in parte fortunatum magis Romanum Imperatorem, qui totam gentis historiam ex reliquis etiam Judæorum Libris sacris fideliter enarratam nunc demum acciperet ope Historici *Josephi.* An non Romanis, in quorum gratiam multa scripsit, quorumque Imperatoribus toties adulatur catus iste Judæus, hac Præfatione persuadere voluit, se primum esse, qui sacra Judæorum monumenta, præter Legem, reliqua Græcè scientibus enarraret universa. Mihi sic videtur. Utilissimi nobis in hac penuriâ, præsertim in Historia sui temporis, *Josephi*, quem nimia, tanquam ubique veracissimi testis, tenet veneratio, legat, non judicia, quæ mirari satis nequeo, virorum doctorum ab Havercampio, ne pagina vacaret, proxime præfixa ejus Archæologiæ; sed et illa, quibus commodum laudabiliter locum dedit in sua Præfat. p. 10. observata xii. Alberti Alberthoma, meditate scripta, et a paucis expectanda, ut erant permulta librorum marginibus manu hujus eximii Theologi inscripta: præterea legat, ne dicam Petri Baylii, judicium de *Josepho* summi viri Jacobi *Usserii*, ad Judæum illum, Historiæ veteris enarratorem, æquiparantis quodammodo Jesuitam *Xavierium* in *Hist. Christi*, utrumque in I. A. Fabricii Bibl. Gr. Vol. iii. p. 235. Tum secum exputet quam hac in re veteri fidem Josephus mereatur. Ptolemæo Philometore regnante Græce conversos jam lectos Prophetas et Estheræ librum fateri debuit Hodius, L. ii. c. ix. atque ad hujus fratris, Physconis,† regnum p. 192. retulit *Jesum Sirachiden*, cui in Libelli Prologo memorantur *ὁ Νόμος, καὶ αἱ Προφητεῖαι, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν Βιβλίων*, tanquam libri, qui tum certè Græcè legerentur. Hæc *Josephus* ignorasset scilicet! qui libros omnes legerat Græce dudum conversos; sed videri voluit Hebraice non minus quam Græce doctus. Credo equidem ista *Josephi*, quæ posui paulo superius, accidisse *Hodio* perincommoda. Primum scribit p. 195. 'Josephus videtur credidisse, nullos libros Historicos, præter Pentateuchum, vel saltem non omnes, tunc cum ipse Antiquitates suas Judaicas conscripsit, Græca Lingua extitisse.'—Positis tum *Josephi* verbis præter cetera hæc quoque subjicit: *Quid aliud intelligit, quam nondum lingua Græcorum extitisse omnes Historiarum Libros?* Dici debuerat, mea sententia; *Quid aliud intellectum voluit, quam nullam extitisse librum sacrum ætate sua Græcè conversum;* præter Libros quinque *Moysis.* Plura non dicam hac de re, nisi id unum, non nobis ista scripsisse *Josephum*, sed Romanis Græcisque, quas talia noverat ad veritatis lancem non exploraturos."

De mente demum Aristobuli, utrum sc. cæteri sacri Libri V. Fœderis diebus Ptolemæi Philadelphi Græcè redditi fuerint necne, ita pergit Vir Celeberrimus Valckenaerus, dictâ Diatribe, p. 61, &c. "Quid nunc tandem," inquit, "nobis narrat *Aristobulus?* mihi ne dubitandum quidem videtur, quin is indicatum voluerit, præter libros *Moysis*, reliquos etiam sacros omnes tempore Philadelphi Græcè fuisse versos. Primum narrat antiquam fuisse versionem quorumdam librorum sacrorum, *Moysis* nempe, qua *Plato*, Pythagoras, ceterique Græci fuerint usi. His narratis Ἡ δ' ὅλη, inquit, Ἑρμηνεία *τῶν διὰ τοῦ Νόμου πάντων, sub Ptolemæo Philadelpho Demetrii cura*, quid? *διαπεπόνηται* vel simile quid ex *διηρμήνευται*, quod præcesserat, facile lectori relinquitur subaudiendum: *Tota vero interpretatio omnium* librorum *in Lege* (sive Legum divinarum Pandecte) elaborata fuit *regnante Philadelpho.* Sic ista capienda mihi quidem monstrare videtur oppositio manifesta, inter hanc versionem, et illam quam dicit antiquam. Commoda fuerit illa vetus nec ne non definit *Aristobulus;* neque hanc sub Ptolemæo conditam illa scribit meliorem aut magis elaboratam fuisse: Ne verbum quidem ea de re: sed partes aliquot sacri voluminis primas, libros adeoque *Moysis*, olim versas: totam vero versionem integri voluminis sacri factam demum sub Ptolemæo Philadelpho, *τὰ διὰ τοῦ Νόμου πάντα*, sive *narrata* suppleas, sive *Βιβλία*, res eodem recidit: *τὰ διὰ τοῦ Νόμου* significant *τὰ ἐν τῷ Νόμῳ·* qui paulo rarior apud veteres præpositionis usus ab *Aristobulo* fuit adamatus, in paucis reliquiis...bis terve recurrens. Ipsa monstrat oppositio, *τὸν Νόμον, Legem*, hic accipiendam latissimo sensu, quo supra monui à Judæis vocem adhibitam. Mecum sensit in his *Aristobuli* accipiendis de libris etiam Historicis et Propheticis Is. Vossius, cum responderet ad *Objecta* Criticæ Sacræ p. 129. Fuit in his tractandis oculatissimus profecto *Hodius*, p. 168. qui viderit *Aristobuli* hanc esse mentem: extitisse *antiquitus—Græcam quandam Versionem* Legis; illam vero sub Philadelpho confectam, *totam fuisse novam majoreque cura et studio elaboratam:* nihil horum in Aristobuleis, ne verbulum quidem, nisi *totam* in ὅλη, etsi diu quæsitum invenire potui. Dum itaque contrarium novis fuerit argumen-

* "*Reipublicæ Judaicæ descriptionem* intelligit secundum istas Leges, sive formam regiminis, qualem Ægyptiorum, Indorum, Æthiopum, nobis enarravit" Diodor. Siculus L. i. c. 72, 73, &c. L. ii. c. 40, 41. L. iii. c. 3, etc.

† "Si, quod puto, vera est super illius ætate *Hodii* sententia, ex istis e Prologo Sirachidæ, Ἐν γὰρ τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἐπὶ τοῦ Εὐεργέτου, ejicienda est vox ἐπὶ, hic, ut sæpè, ex ea quæ præcedit, male repetita.

tis demonstratum, probabile videbitur, tempore Ptolemæi Philadelphi Legem Judaicam universam, sive libros antiqui Fœderis in Canonem receptos, omnes Græce fuisse conversos, non a LXXII. sed perpaucis Interpretibus. Easdem versiones pleraque esse, quas nos legimus, non temere dixerim. Et supersunt in his rebus, tam sæpe jam retractatis, multa tamen ante peragenda, quam ad liquidum omnes deduci possint. Nihil ad hanc disputationem facit, ex documentis probabilibus aliis, et ex stylo, quem unusquisque semper habemus proprium, definivisse, quot numero fuerint illi pauci, quibus Librorum Hebræorum versiones nobis superstites debeantur; quod arbitror equidem fieri posse. Sed illud hinc non alienum est dixisse, versiones etiam istius quas habemus ævi superstites, *omnes non vitiosissimas tantum, sed mirum in modum primum a Judæis, deinceps a Christianis correctoribus fuisse interpolatos.** Hoc minime novum accidet in hac exercitatis palæstra; novis tamen documentis haud paucis a me posset demonstrari. Cui uni omnium interpolationes istæ debuerunt esse notissimæ, HODIUM demiror, ob unicam vocem γαισὸς, in Libro *Josuæ* repertam, tam prolixam instituisse disputationem L. ii. c. viii, qua suam nobis in quibusvis Scriptoribus legendis diligentiam demonstravit, non quod se facturum receperat. L. ii. c. ix, adstipulatur *Hodius Usserio,* propter additamentum ad Librum *Estheræ* suspicato, versionem istius Libri factum sub Ptolemæo Philometore. Ne hoc quidem argumentum arbitror sat firmum. Additamenta, quæ Græcæ fuerunt Estheræ versioni interserta, illa debentur istius temporis Judæo, eidem, ni fallor, qui nobis historiam scripsit superstitem sub nomine Libri iii, Maccabæorum. Circa eadem hæc tempora pleraque condita sunt a Judæis, sæpe nugatoribus, aliis etiam Libris divinis vel addita vel interjecta, quæ nunquam in scriptis fuere Hebraicis. Hæc si ejicias ex libro Græco Ezræ, qui ponitur inter Apocryphos, quod remanebit erit Græca versio de Chaldaicis Ezræ facta, versione omnibus notâ certe magis Græca, et melior, nisi quod hæc additamentis est Judæi recentioris deformata. Duplicem habemus Ezræ versionem; forsan in diversis Codicibus etiam duplicem libri *Judicum;*† certe cantici *Habacuci* III. Ista talia nunc digito tantum monstrantur, si quos forte excitarent ad genus tractandum literarum, hoc seculo valde neglectum.—Hic cogitanti mihi, quid HODIUM p. 169. moverit, ut Aristobulo sententiam affingeret a verbis ejus vulgatis adeo remotam, venit in mentem fabulator *Aristeas:* suspicor itaque *Aristobulum* ea fecisse dicentem *Hodium*, ut Aristeanis similia dixisse videretur: quasi vero non liceret huic a nugatore dissentire. *Aristeas,* p. v. facit Demetrium suum Phalereum Regi per Epistolam significantem, deësse Regiæ Bibliothecæ cum paucis aliis (τὰ) τοῦ Νόμου τῶν Ἰουδαίων Βιβλία· His quæ proxima subjunguntur, τυγχάνει γὰρ Ἑβραϊκοῖς γράμμασι καὶ φωνῇ λεγόμενα· ἀμελέστερον δὲ, καὶ οὐχ ὡς ὑπάρχει, σεσήμανται, καθὼς ὑπὸ τῶν εἰδότων προσαναφέρεται· προνοίας γὰρ βασιλικῆς οὐ τέτευχε, quid sibi vellent, vix aliquis intellexisset, nisi sententiam Aristeani Demetrii clarius enuntiasset semper *Aristeæ* vestigiis insistens JOSEPHUS Ἀρχαιολ. p. 588, χαρακτῆρσι γὰρ Ἑβραϊκοῖς γεγραμένα καὶ φωνῇ τῇ ἐθνικῇ ἐστιν ἡμῖν ἀσαφῆ· συμβέβηκε δ' αὐτὰ καὶ ἀμελέστερον ἢ ἔχει σεσημάνθαι. eamdem addit rationem, atque illud etiam, necesse esse ut ista quoque Rex habeat διηκριβωμένα. Potuisset scribere *Josephus* ἀμελέστερον καὶ οὐχ ὡς ἔχει· si scripsit ἀμελέστερον ἢ, scribere debuit ἔδει· *negligentius quam oportebat;* quod vidit et Io DAVISIUS. Ad hæc respondent, non ad *Aristobuli* verba, quæ huic tribuit *Hodius.* Quin contra verbum *Aristobuli* Διηρμήνευται de veteris librorum Moysis versione, a Platone ceterisque adhibita, positum, illam demonstraret, ex ejus sententia diligenter elaboratam; significare saltem debet vi præpositionis factam ‡ τὴν ὅλην ἑρμηνείαν istorum, quos enumerat ibi, librorum *Moysis.* De isthac antiquiore versione Græca librorum *Moysis,* ex Aristobulo commemorata a Clemente atque *Eusebio,* hinc ab aliis, qui Scriptores istos Christianos in talibus etiam velut fidos duces sequuntur, ne dubitandum quidem censuerunt, et confidenter loquitur præter cæteros Io. CURTERIUS in Præfat. præmissa *Procopio* in *Jesaiam.* Qui Platonem, si non illinc, sua tamen ab Hebræis accepisse crediderunt, absurdas paene dixeram, Patrum opiniones exposuit AEG. MENAGIUS in *Diog. Laërt.* iii. 6. Sed harum me nugarum tædet. Utrumque falsum statuo, hic planissime conspirans cum HODIO, (L. iv. c. 1,) censente nec versionem talem extitisse, neque adeo Philosophos veteres *Pythagoram, Platonem,* sua derivasse de Libris nostris sacris." Plura dare supervacaneum esse arbitramur: sufficiat hîc dicere, nos omninò cum Clariss. Valckenaero hâc de re sentire: quia sc. rationi satis est consentaneum hujusmodi originem habuisse Versionem τῶν ὁ, eo tandem insignita nomine, quod fortassis fabula Aristeæ nimium sibi fidei conciliâsse videatur. Neque, uti nobis quidem videtur, satis tutè quisquam historicas omnes abjicere narrationes posset, conjecturis tantummodo in omnibus innixus.

## SECTIO II.

*De operibus criticis* ORIGENIS, *Bibliis sc. Tetraplis, Hexaplis, &c.*

I. Nulla fuisse temporibus Origenis (circa A. D. 230.), exemplaria Versionis τῶν Ο'. correcta, ejus verba clarissimè monstrabunt: Τὴν μὲν οὖν, inquit, τοῖς ἀντιγράφοις τῆς παλαιᾶς Διαθήκης Διαφωνίαν, θεοῦ διδόντος, εὕρομεν ἰάσασθαι, κριτηρίῳ χρησάμενοι ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσιν. Τῶν γὰρ ἀμφιβαλλομένων παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα διὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν, τὴν κρίσιν ποιησάμενοι ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων, τὸ συνᾶδον ἐκείναις ἐφυλάξαμεν· καί τινα μὲν ὠβελίσαμεν, ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ μὴ κείμενα, οὐ τολμήσαντες αὐτὰ πάντη περιελεῖν· τινὰ δὲ μετ' ἀστερίσκων προσεθήκαμεν, ἵνα δῆλον ᾖ, ὅτι μὴ κείμενα παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα, ἐκ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων συμφώνως τῷ Ἑβραϊκῷ προσεθήκαμεν· καὶ ὁ μὲν βουλόμενος προσῆται αὐτὰ, ᾧ δὲ προσκόπτει τὸ τοιοῦτο, ὃ βούλεται περὶ τῆς διαδυχῆς αὐτῶν, ἢ μὴ, ποιήσῃ. "*Itaque in Exemplaribus Veteris Testamenti, Deo dante, dissonantia corrigere instituimus, utentes tanquam normâ judicandi reliquis Editionibus. Quæ enim dubia erant apud LXX, propter differentiam Exemplarium, judicio adhibito è reliquis Editionibus, quod illis consonum erat, custodivimus: ac nonnulla quidem obelo notavimus, quæ in Hebræo non extant, haud ausi ea penitus tollere: nonnulla verò cum asteriscis apposuimus, ut appareat, ea apud LXX. non haberi, sed è cæteris Editionibus juxta Hebræum à nobis apposita esse: et ut qui volet, ea admittat; quem autem tale quid offendit, de recipiendo illo necne, pro arbitrio statuat.*" §

* Horum demonstrationes luculentissimas dedit Doctiss. Grabius, eo usque ut vix quisquam dubius hærere poterit, hujusmodi corruptiones diu ante tempora N. C. à Judæis ortum habuisse, dein à Librariis Christianis mirum in modum fuisse auctas, ita ut in Libris quibusdam Vetus versio vixdum agnosci posset. Videatur Epist. ad Millium, et Dissertatio ejus, de variis Vitiis LXX. Interpretum, &c. Illa Oxoniæ, 1705. Hæc ib. 1710.

† At nimis rotundè Vir Clarissimus, verbis Grabii Doctiss. inhærens hoc affirmat, ut quisque collatione factâ statim deprehendet. Verba Grabii sunt.... "Ut de aliis modo nihil dicam, libri *Judicum* Versionem τῶν ὁ quam Origenes in Hexaplis exhibuit, quâque omnes ferè Christianorum Ecclesiæ post Judaicam Synagogam olim usæ sunt, et Orientales hodie utuntur, Codice *Alexandrino* contineri deprehendi; *Romanam* autem Editionem *prorsus diversam,* ac per omnia pæne commata non modo quoad verba, sed sæpiùs etiam quoad sensum, ex instituto mutatam reperi, adeò ut Emendationem non admittat." J. E. Grabii Epist. ad MILLIUM. p. 4.

‡ "Verbum *Lysiæ* Διῆρξα redditur ab HARPOCRATIONE διὰ τέλους ἦρξα· *Critiæ* Διαδικάζειν a POLLUCE (viii. 25.) δι' ὅλου τοῦ ἔτους δικάζειν. Dantur multa similia. Judæos Philosophos hæc minuta non neglexisse monstrabit PHILO Pythagoréus, explicans vim præpositionis διὰ in compositis Lib. *de Somn.* p. 595. c."

§ Comment. in Matt. p. 381. apud Grabium Dissert. de vitiis LXX. p. 50. Hæc, nescio quo fato, Holmesius, in suâ nuperâ Editione splendidissimâ, in duas partes divisit. Partem priorem, usque ad vocem ἐφυλάξαμεν, ceu de Tetraplis agentem accepit: indè demùm ad finem de Hexaplis. Mihi tamen hoc oppidò coactum videtur: et quùm vix necessè esse videatur: miror sanè quid virum Doctissimum ad id impulerit.

II. Hæc in universum esse dicta, nullâ exceptione factâ, videbit quisque: è verbis tamen Hieronymi, sunt qui putant, exemplaria quædam Versionis τῶν ὁ. etiam Origenis tempore, immaculata fuisse; atque adeò τὴν κοινὴν sive *Editionem communem*, ut aiunt, ad hujusmodi codices ab Adamantio (i. e. Origene) fuisse emendata. Verba Hieronymi hæc sunt: "*Breviter illud admoneo, ut sciatis aliam esse editionem, quam Origenes et Cæsariensis Eusebius, omnesque Græciæ tractatores,* κοινὴν, *id est, Communem appellant, atque Vulgatam, et à plerisque nunc* λουκιανὸς *dicitur, aliam LXX. interpretum, quæ et in* Ἑξαπλοῖς *reperitur, et à nobis in Lat. sermonem fideliter versa est, et Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesiis decantatur.—* Κοινὴ *autem ista, hoc est communis Editio, ipsa est, quæ et LXX. Sed hoc interest inter utramque, quod* κοινῆς *pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum veterum corrupta editio est. Ea autem quæ habetur in* Ἑξαπλοῖς, *et quam nos vertimus, ipsa est, quæ in Eruditorum libris incorrupta et immaculata LXX. Interpretum translatio reservabatur. Quicquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est, quin ita et ab Hebræorum auctoritate discordet."** Patrem in his nimis fidenter de puritate LXX. versionis locutum esse, etiam ab Origene correctæ, nemo non videbit: sed verba sua rigidissimè sumi fortassè nolebat Hieronymus; Origenis sc. Editionem esse tantummodò omnium quæ exstabant longè correctissimam, atque dignam ut cum Archetypo Hebraïco quodammodo compararetur. Primus, ni fallor, H. Valesius mentem Hieronymi rectè explicuit, hypothesinque Usserianam refutavit: "*Origenem,*" inquit, "*editionem antiquam seu vulgatam primum emendâsse, collatis inter se multis exemplaribus, deindè obelis et asteriscis distinxisse. Quamobrem editio illa LXX. quæ in Hexaplis*† *legebatur, partim erat* κοινὴ *partim non erat.... Non erat autem propriè* κοινὴ *propterea quod et multis locis emendata fuerat ab Origene, et ex Theodotione aliisque Interpretibus passim suppleta."*‡ "Quod non respondisset Vir doctus," inquit Hodius, "si modo animadvertisset, solere *Hieronymum* LXX. in genere, ut opponitur Hebræo, *Vulgatam* nuncupare. At pace viri perspicacissimi, dixerim, quæstionem hîc, non esse de oppositione Editionem Græcam inter et Hebraïcam, sed inter Editionem Græcam antè tempora Origenis, et post ejus emendationes in eâ factas, atque in lucem editas. Et idem ipsissimus Hodius aliis in locis habet: (p. 612.) "*Editionem* puriorem Hexaplarem à Vulgari distinguit nomine LXX." et ib. "*Origenem* ipsum Editionis κοινῆς meminisse animadvertit *Hieronymus* in loco superiùs citato ex Epist. ad Sun. et Fret. Et in scriptis, quæ adhuc supersunt, meminit ipse differentiæ exemplarium *communium* et *accuratorum;* hæcque ipse ab illis distinguit τῶν LXX. titulo." Mera est, igitur, Hodii in Valesium animadversio, cavillatio. Benè tamen addit Hodius, (§. 23.) "Nullum tamen Origenis tempore tam purum exstitit exemplar, quin necessè habuerit ille editionem τῶν ὁ. Hexaplarem ex variis Codicibus inter se collatis conficere: ut testatur ipse Com. in Matt. verbis suprà prolatis.§

III. Neque felicissimum omninò Hodius contra Hieronymum semet præbuit (p. 613.) edisserens: "Fallitur quoque *Hieronymus*, cum dicit, quod *quicquid ab hac* editione Hexaplari *discrepat, nulli dubium est, quin ita et ab Hebræorum auctoritate discordet.*" "Nam," addit ille, "in paucis quibusdam locis cum Hebræo magis conveniebat editio ista κοινὴ, quam purior illa *Hexaplaris:* nimirum quia ex aliis Versionibus *Aquilæ, Sym.* aut *Theod.* nonnulla à librariis emendata fuerant." At Hieronymus de exemplari Cæsareæ adservato loquitur, quod et ipse oculis suis lustraverat, non de quibusvis à Librariis jam corruptis. In paginâ sequenti harum variationum quasdam dat Hodius ex operibus Hieronymi hinc indè, ut videtur, conquisitas. Atqui, cùm Vir Doctissimus nos parùm certiores de earum auctoritate fecerit, nemo fortassis sententiam indè absolutissimam proferre poterit. In his tamen omnibus quinque tantummodo connumerat, in quibus ἡ κοινὴ ad Hebræum propiùs accedit: et ex his una demenda est, in quâ Vir oculatissimus se falsum esse passus est. e. g. Ps. 90. 2. *μού σν.* Heb. namque habet מַחְסִי, quæ ad *ἀντιλήπτωρ μον* respondere possit, non *ἀντιλήπτωρ μού σν,* ut is vult. Præterea, si locus ellipsi laborare credatur, מַחְסִי הוּא ad contextûs seriem meliùs quadrabit, quia ad finem versûs habemus אֶבְטַח בּוֹ non בָּךְ, i. e. *in eo confidam,* non, *in te confidam.* Sententia igitur est adfirmativa, non precativa: sc. *Dicam de Domino, (Is est) refugium meum, et munitio mea. Deus meus (is est), in eo confidam.* Locus ultimus ab Hodio adductus est Jes. 62. 1. ubi Hexaplarem lectionem ponit *σωτήριόν μου.* Dixerim, lectio est tum Editionis Romanæ tum Alexandrinæ: et, ut mihi videtur, τῆς κοινῆς. Quomodo enim potuerit Origenes lectionem hanc in Editione suâ retinere sanè non video, cum certo certius est eam cum Hebraâ minimè convenire: præterea aliter locum refert Usserius, sc. Σωτήριαν αὐτῆς. Quamvis igitur Hieronymus, non omninò strictè locutum fuisse crederem; Hodium tamen hâc palæstrâ vix felicem evasisse Patrem doctissimum redarguendo autumarem.

IV. Sed et aliud est observatu dignum, quod miror Virum acutissimum non attigisse:—Quomodo, dixerim, Hieronymus hanc Origenis emendatam Editionem, immaculatam τῶν ὁ. translationem appellare potuit? Sensum, næ mentem, τῶν ὁ. fundere omninò potuit, at nec de hoc quidem satis certè pronuntiare potuit aut Origenes ipse, aut Pater Sanctus Hieronymus; ipsissima tamen verba, locutiones, eum exhibuisse, supra humanas vires esset affirmare; atque, pari ratione, immaculatam hanc fuisse τῶν ὁ. Editionem nemo demonstrare potest. Sed, ni fallor, hujusmodi asserta ceu minùs definita, mori loquendi Sancto Patri assueto adscribi debeunt: quod, si Viri Doctiss. in legendis operibus Hieronymi observâssent, pauciora ejus *ἀσύστατα,* ut puto, offendissent. Sed alia et hinc suborietur quæstio, haud minoris, uti mihi videtur, momenti. Si enim Origenes, et post eum Hieronymus, crediderint, correctam τῶν ὁ. Editionem ex Hebraïco textu restitui posse; sequetur, eos quoque credidisse, tum Versionem τῶν ὁ. quondam textum

---

* Epist. ad Suniam et Fretelam. Vide Montf. Hexap. Tom. i. p. 36.

† Notatu est dignum, Hieronymum hîc ad Hexaplarem Editionem provocâsse, quæ, ut omnes nôrunt, ab Origene emendata fuit: sin autem ad Tetraplarem provocâsset, aliò omninò res recidisset; ea enim ἡ κοινὴ, sive *inemendata et Vulgata, fuit editio.*

‡ Apud Hodium. p. 609.

§ Longè a vero igitur aberrat Pontificius quidam in Diss. i. p. 313, 314. Editioni Danielis sec. LXX. affixâ, asserens, Autographum Ptolemaïcum τῶν ὁ. etiam ad vii. sæculum usque in Serapæo fuisse adservatum. Si enim res ita se habuisset, sanè Origenes collationibus faciendis dies noctesque non sudasset; cum sc. exemplar ex isto Serapæïco descriptum rem omnem confecisset. Invenio quoque, quod satis demirari nequeo, Waltonum nostrum hoc modo disputantem Proleg. 9. §. 21.): "Hic (i. e. Origenes) cum in editionem quæ tunc 'Vulgata' et 'Communis' dicebatur, errata quædam irrepsisse advertisset, *ex Alexandrinâ Bibliothecâ ubi genuinum Cleopatræ exemplar (et ut quidam sentiunt Ptolemæi Autographon)* asservatum erat *Versionem Græcam τῶν ὁ descripsit,* &c." Sed ubinam gentium hoc scriptum reperit Waltonus? Verba Origenis, ut sua comprobaret, statim profert... "*quæcunque fuerint inconsonantia Deo præstante co-aptare potuimus, utentes judicio* CETERARUM EDITIONUM. Ea enim," repetit, "quæ videbantur apud LXX. dubia esse propter dissonantiam exemplarium, FACIENTES JUDICIUM EX EDITIONIBUS RELIQUIS, CONVENIENTIA SERVAVIMUS." At ne verbulum quidem de Autographo illo Ptolemaïco, vel etiam exemplari genuino in Serapæo servato. Hæc è novâ creatione illâ Waltonianâ omnia procedunt, atque adeò rejectitia se omnibus, apertè probabunt. Simili errore erravit Baverus in suâ Criticâ Sacrâ (p. 261.) asserens Hodium affirmâsse, pp. 612, 640. quod Origenes suam editionem adornaverit, præcipuè ex Exemplari Serapæico: cum nihil tale dixerat Hodius; nisi quod (p. 613.) Usserium ita ratiocinantem coarguerat! Idem Pontificius (pp. 433, 434, &c. Diss. iii.), ut Apocryphis suis auctoritatem majorem conciliaret, Lectorique dormitanti illuderet, Chaldaïca quædam additamenta Libro Estheræ in medium profert, eaque cum Apocryphis Græcis Latinisque confert: additâ hâc præmonitione; "Opportunum duximus eorumdem in Estheræ deficientium Chaldaïcam paraphrasim exhibere, &c."... "Hinc enimvero," addit, "Vulgatæ auctoritas et LXX. Seniorum fides a levissimis tricis vindicantur." Sequitur demùm hæc paraphrasis cum versionibus Græcis, primâ et secundâ, Latinis itidem duabus, antiquâ sc. et recentiore, collata. Hieronymus tamen, quem iuter *novatores* (p. 433.) ponendum necessariò censebit noster, eò audaciæ processit, ut affirmare haud dubitaverit, hujusmodi additamenta, ejus diebus, Græcè tantum exstare.

Hebraïcum ad amussim repræsentâsse; tum, Exemplar ipsum Hebraïcum, ad ipsorum usque tempora, intemeratum fuisse servatum. His enim fundamentis ii necessariò innixi sunt: alioquin, hujusmodi eorum assertiones flocci essent habendæ. Ad me quod attinet, nullus dubito, hæc, tum Originem tum Hieronymum optimo jure credere potuisse; quod et unusquisque, ni valdè fallor, his quæstionibus benè versatus, non poterit quin calculo suo lubens firmaret.

V. Aliud præterea Origenem in id impulisse videtur, ut sc. versionem τῶν ὁ. in examen revocaret. Iis enim diebus solenne fuit, quod et ipsi Origeni acciderat, Judæos de fide malesanâ suâ redarguere.* In hâc palæstrâ ad versionem τῶν ὁ. Christiani contentiosos Judæos provocabant: qui, causam suorum tuendi gratiâ, ad id tandem pervenerunt, ut fidem omnem huic versioni denegarent, novasque indies translationes cudere pergerent; undè et profluxerunt versiones Græcæ illæ Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis. Origenes, intereà, semet ad literas Hebraïcas addiscendas contulit, atque eò profecit, modis quidem nobis incompertis, ut Textum Archetypum Hebraïcum cum Versionibus conferre, discrepantias adnotare, notasque criticas limatiores dare, potuit. Quando primùm in mentem ejus venerit collationes hujusmodi instituere, nemo facile dixerit; in Ægypto, priusquàm ad Palestinam se contulerat Pater, id eum incepisse autumat Clariss. Huetius. Utut tamen res fuerit, sat certum est, Eum opus suum Cæsareæ Cappadociæ in ædibus Julianæ incepisse, Tyri verò ope Ambrosii confecisse, cui *Tetrapla* nomen dedit.† Tetraplorum rationem eam fuisse, Patres nos docuerunt, ut pagina quævis quatuor columnas complecteretur. Harum prima Versionem Aquilæ, secunda Symmachi, tertia τῶν ὁ. quarta Theodotionis, sistebat: adeò ut opus *Tetrapla, sive quadruplicem*, exhiberet paginam, versionibus suprà memoratis, ordineque dicto, sibi invicem respondentibus. In hâc præterea Editione quadruplice, Versionem communem, ‡ sive, τὴν κοινὴν, posuit Origines, scholiaque addidit; eo consilio, ut cæteris redarguentibus, veritas tandem elucescere posset. Schema Tetraplorum ita se habuit, Gen. i. 1.

| ΑΚΥΛΑΣ. | ΣΥΜΜΑΧΟΣ. | Ὁι Ο'. | ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ. |
|---|---|---|---|
| Ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ Θεὸς σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γὴν. | Ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γὴν. | Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γὴν. | Ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γὴν. |

VI. Hoc opere demùm ad finem perducto atque Doctorum omnium applausu, uti videtur, accepto, ad aliud longè difficilius majorisque periculi se accinxit *Adamantius*. Textum enim Hebraïcum, Hebraïcis Græcisque literis exaratum, in prioribus duobus columnis collocavit, additis cæteris, ordine suprà memorato, versione præterea τῶν ὁ. hinc indè crisi prorsùs novâ, emendatâ.

VII. Cùm igitur Origenes experientiâ didicisset, Editionem τῶν ὁ. Vulgatam, locis pænè innumeris ab Hebraïco Archetypo discrepare, ea addere quæ defuerunt, demere quæ abundârunt, hoc demùm modo instituit: reperto sc. loco deficiente, eum asterisco notavit, dein è versione Theodotionis plerumque, nonnunquam verò ex Aquilæ translatione, aut Symmachi, ea verba apposuit, quæ textui Hebraïco convenientiora ei viderentur. Sicubi tamen, alterâ ex parte, Versio abundaret, initio hujusmodi excessûs sive redundantiæ, notulam, quam *obelum* nominavit, apposuit; fini præterea aliam addidit, ita ut omnia quæ temporis injuriâ textui Græco illata essent, his notulis usta, pro adscitis haberentur. His præterea notas seu scholia marginalia multa accumulavit, Editionemque ita instructam, *Hexaplorum* nomine, ceu *Editionem sextuplicem*, cohonestavit. Hoc ejus est schema. Oseæ xi. 1.

| Τὸ Ἑβραϊκόν. | Εβρ. ΕΛΛΗΝΙΚΟΙΣ ΓΡ. | ΑΚΥΛΑΣ. | ΣΥΜΜΑΧΟΣ. | Ὁι Ο'. | ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ. |
|---|---|---|---|---|---|
| כי נער ישראל ואהבהו וממצרים קראתי לבני | χι νερ Ισραηλ ουεαβηθ ημεμμεσραιμ καραθι λεβανι. | ὅτι παῖς Ισραὴλ, καὶ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἀπὸ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου. | ὅτι παῖς Ἰσραὴλ, καὶ ἠγαπημένος, ἐξ Αἰγύπτου κέκληται υἱός μου. | ὅτι νήπιος Ισραὴλ, καὶ ἐγὼ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἐξ Αἰγύπτου κέκληται υἱός μου.§ | ὅτι νήπιος Ισραὴλ, καὶ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἐκάλεσα υἱόν μου ἐξ Αἰγύπτου. |

VIII. In hoc vero specimine nullæ τῶν ὁ. emendationes conspiciuntur; earum nonnullas posthâc dabimus. Tres posteà addidit Versiones Origenes, quas is casu quodam invenisse perhibetur; at quùm hæ, à Christianis uti videtur factæ, Libros Scripturæ Sacræ Poeticos, ut aiunt, tantùm complecterentur,‖ in multis non comparuerunt; ubicunque autem locum habebant, si duas addiderint versiones tantum, inibi *Octaplorum*, sive *Octuplicis Editionis*, nomen sortitum est opus Origenianum: ubi verò tres, *Enneaplorum*, sive *Novemplicis*. "Semel," inquit Montfaucon, "item in notis ad Jesaiam, cap. 3. v. 24. legimus πεντασέλιδον; hoc est quinque columnarum opus." "Inde projectum fortassè nomen est," addit, "quod Librarii quidam Hebraïcam Hebraïcè scriptam columnam, non usitata sibi characterum forma deterriti, in nonnullis exemplaribus prætermiserint." Nulla igitur constructa Pentapla ab Origene: ea solum è socordiâ Librariorum exorta sunt. Paulò aliter tamen Grabius; statuit namque is, Pentapla è tetraplis facta fuisse, addito sc. textu Hebraïco Græcis literis exarato.¶

Exempla igitur harum Editionum sunt hæc sequentia. Ps. ii. 6.

---

* Et ita sanè loquitur is in Epist. ad Africanum, p. 228. *ἵνα πρὸς Ἰουδαίους διαλεγόμενοι προφέρωμεν αὐτοῖς τὰ προκείμενα ἐν τοῖς ἀντίγραφοις αὐτῶν, καὶ ἵνα συγχρησώμεθα τοῖς φερομένοις παρ' ἐκείνοις, εἰ καὶ ἐν ἡμετέροις οὐ κεῖνται βιβλίοις. Τοιαύτης γὰρ οὔσης ἡμῶν τῆς πρὸς αὐτοὺς ἐν ταῖς ζητήσεσι παρασκευῆς, οὐ καταφρονήσουσιν, οὐδ' ὡς ἔθος αὐτοῖς, γελάσονται τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν πιστεύοντας, ὡς τ' ἀληθῆ παρ' αὐτοῖς ἀναγεγραμένα ἀγνοοῦντας.* "*Ut, si quando cum Judæis disputemus, proferamus ipsis ea quæ extant in exemplaribus illorum, et ut simul utamur illis quæ apud ipsos circumferuntur, licet in nostris non extent Bibliis. Talis enim si sit nostra adversus illos in controversiis præparatio, non contemnent, neque, prout ipsis consuetum est, ridebunt credentes ex gentibus, tanquam eos, qui genuinas ipsorum Scripturas ignorent.*" Demiror igitur, clariss. Montfaucon, hanc causam adornandi Editiones Origenianas præteriisse.

† Mira est inter viros doctos de tempore quo editæ fuerint hæ Editiones Origenianæ opinionum diversitas: nos incœptam Tetraplorum editionem in ædibus Julianæ posuimus, eo quod ibi Pater Symmachi Versionem nactus primo videtur; et cum haud diu ibi manserit, necessariò apud Tyros editionem ad finem perduxit.

‡ Originem tamen Tetraplorum editionem emendâsse, asserit nota Græca à Montfaucon citata; Hexapl. Tom. i. p. 15. Hæc verò ad textûs integritatem respicere crederem, non ad emendationes criticas, astericis obelisque posteà notatis.

§ Paulò aliter οἱ ὁ. hodie.

‖ Ita quidem Hieronymus in Comm. in Epist. ad Titum. Montfaucon tamen loca quædam ex iis excerpta in Pentateucho invenit, putatque eas cæteros V. Test. libros comprehendisse. Montf. in Hexap. Tom. i. pp. 17, 18.

¶ De Vitiis var. Sept. v. p. 51.

OCTAPLORUM.

| Τὸ Εβραϊκον. | Τὸ ΕΒΡ. ΕΛΛ. ΓΡΑΜΜΑΣΙ. | ΑΚΥΛΑΣ. | ΣΥΜΜΑΧΟΣ. | Οἱ ὁ. | ΘΕΟΔ. | Ε. | ϛ. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ואני נסכתי מלכי | ουανι νασαχθι μαλχι.* | κἀγὼ διεσωσάμην βασιλέα μου. | κἀγὼ ἔχρισα τὸν βασιλέα μου. | ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ αὐτοῦ. | ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ. | κἀγὼ διεσωσάμην βασιλέα μου. | κἀγω ἔσωσα τὸν Βασιλέα μου. |

ENNEAPLORUM. Habac. ii. 4.

| Το Εβρ. | Το ΕΒΡ. ΕΛΛ. ΓΡ. | ΑΚΥΛΑΣ. | ΣΥΜΜΑΧΟΣ. | Οἱ ὁ. | ΘΕΟΔ. | Ε. | ϛ. | Ζ. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| וצדיק באמונתו יחיה | ουσαδικ βημουναθο ιειε. | καὶ δίκαιος ἐν πίστει αὐτοῦ ζήσεται. | ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἐαυτοῦ πίστει ζήσει. | ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται. | ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἐαυτοῦ πίστει ζήσει. | ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἐαυτοῦ πίστει ζήσει. | ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἐαυτοῦ πίστει ζήσει. | ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἐαυτοῦ πίστει ζήσει. |

Pentaplorum nulla dederunt specimina Viri hâc palæstrâ illustres: neque necessè est darentur, cum maximè verisimile est, eorum exemplaria perpauca inter eruditos exstitisse. Sed nec semper Versio septima, notata Z, in paginarum columna comparuit; in locis enim nonnullis ea ad infimum marginem relegata conspiciebatur.

## SECTIO III.

*De notis Origenianis, Asterisco, Obelo, Lemnisco, Hypolemnisco.*

I. Hexaplaris editionis additamenta asterisco fuisse notata, suprà observatum est: quùm igitur hæc ex Theodotionis versione plerumque sumpta essent, nota persæpè nominis sc. Θ omissa est; quùm autem ex aliis quibusvis, hujusmodi notâ A pro Aquilâ, Σ pro Symmacho, E pro quintâ versione, ϛ pro sextâ, Z pro septimâ, adscripta est, e. g. Job. xxxii. 12. ⁜ Θ *καὶ μέχρι ὑμῶν συνήσω· καὶ ἰδοὺ οὐκ ἦν τῷ Ιὼβ ἐλέγχων, ἀντα.* ⁜ *ποκρινόμενος ῥήματα αὐτοῦ ἐξ ὑμῶν· ἵνα μὴ εἴπατε, εὕρομεν σοφίαν τοῦ θεοῦ προσθέμενοι*: "ubi animadvertas," verba sunt Clariss. Montfaucon, "cum aliquid vel ex Theodotione vel ex aliis adjiceretur, si id initio, sive in medio, sive in fine lineæ jaceret, præmisso semper asterisco additum fuisse, appositis post additamentum duobus punctis. Si verò, additamentum illud ad plures lineas extraheretur, initio cujuslibet lineæ Asteriscus appingebatur donec totum desineret, ibique duo puncta crassiora de more ponebantur." † Sin autem ex duobus sumpta essent additamenta, notula nominis utriusque tum apponebatur, e. g. ⁜ Α. Σ. *ἡ ἀδελφὴ αὐτῆς*. Jer. iii. 7. i. e. ex Aquilâ et Symmacho. ⁜ Α. Σ. Θ. *θυσιαστήρια*. Jer. xi. 13. i. e. conspirantibus, Aquilâ, Symmacho et Theodotione: et ita deinceps.

II. *Obelus*, virgula jacens à nonnullis (—) pictus est, ab aliis cum duobus punctis (÷), ab aliis denique aliquantulum incurvata (⁓), eo fini adhibebatur, ut ea, quæ præcederent et ad duo illo puncta majora extenderentur, redundantia esse denotaret, atque idcirco è textu elimenanda.

III. *Lemniscus* (λημνίσκος) virgulam item jacentem, duobusque punctis notatam, sistebat: (÷), quandóque autem incurvatam (⁓). *Hypolemniscus* (ὑπολημνίσκος) ejusdem modi virgulam sive rectam sive incurvatam, punctulâ unâ infernè notatam (—) (⁓): critico aliquo munere uterque fungebatur; sed quodnam hoc fuerit Viri docti adhuc ambigunt. "Existimo," inquit Clariss. Montfaucon, "quemadmodum Asteriscus ad omissa, quæ inserebantur, annotanda, et Obelus ad ea, quæ redundabant, jugulanda, ut ait Hieronymus, appositi sunt; ita Lemniscum adhibitum fuisse, ubi LXX. Interpretes lectionem quidem Hebraïcam exprimebant; sed non ita accuratè atque distinctè: quæ causa erat ut illa in textu relicta; altera quæ melior videbatur ex aliis Interpretatibus petita, huic subjungeretur." e. g. Ps. xxviii. 1. "In Hebræo legitur הבו ליהוה בני אלים, ubi LXX. verterant, *ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὶ Θεοῦ*. Reliqui verò Interpretes, *ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὺς κριῶν*. Ibi Origenes lectionem *τῶν ὁ*. reliquit, præmissâ Lemnisci notâ, et aliorum interpretationem adjecit Asterisco notatam, hoc pacto ÷ *ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὶ Θεοῦ* ⁜ *ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὺς κριῶν*: Ita ut Lemniscus doceret eam esse LXX. et Theodotionis lectionem: id enim duo puncta (i. e. in ÷) denotabant." ‡ Sed pace Viri Doctiss. dixerim, nullum esse vel verbulum in operibus Origenianis inveniendum *Lemniscos Hypolemniscosve* commemorans: et verisimile videtur, eos, aut ab Eusebio Pamphili, aut à Librariis recentioribus quibusvis, primo in usum adhibitos fuisse.

IV. "Conjiceret igitur fortè quisquam," inquit Grabius hâc de re loquens, § ab Eusebio istas *Tetraplaris* et *Hexaplaris τῶν ὁ*. Editionis discrepantias unà cum *lemniscis* additas esse; non ab ipso *Origene*, utpote qui tale à se adhibitum signum variantis lectionis nuspiam memoraverit. Quicquid autem hâc etiam de re statuatur, cujus absque ipsorum autographorum (quæ jam periisse videntur,) inspectione vix certi esse possumus; id tamen manet ratum, *lemniscos diversarum in diversis LXX. Interpretum Codicibus lectionum esse signa.* Cæterum, priusquam ad alia progrediar, monere haud abs re erit, tàm *lemniscos* quàm *obelos*, in Cod. *Rupefucaldino*, nec non *Serenissimæ Reginæ* sæpè laudato à Librariis quandoque adhibitos esse, ubi quædam fortè fortunâ in textu omissa fuêre, indéque ad marginem posteà apposita; vel ubi diversas, easque meliores ac pleniores cæterorum Interpretum Versiones in textu vel

---

* Quum nihil solennius est apud punctorum vocalium adversatores, quam, ut sua scita commendarent, ad pronuntiationem Origenis provocare, omisso tamen more ejus vocales repræsentandi; haud abs re fore credidi quædam hic supponere, ut Lectores videant quam vana sit istorum hâc de re gloriatio. Gen. i. 1, &c.

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Sec. *Gram. Nost.* | Brēshíth | bará | Elōhím | éth | hashshāmāim | vēth | hāárets. | | | |
| *Origenem.* | Βρησιθ | βαρα | ελωειμ | εθ | ασαμαιμ | ουεθ | ααρες. | | | |
| *Novatores.* | Brasith | bra | aleim | at | eshmim | vat | earets. | | | |
| *Gram. Nos.* | Vĕhāárets | hāyĕthá | thóhū | vāvóhū | vĕkhóshek | hal | pĕné | thĕhóm | | |
| *Origenem.* | Ουααρες | αιεθα | θωου | ουβοου | ουωσεκ | αλ | φνε | θεωμ | | |
| *Novatores.* | Vearts | eithe | tev | vebev | vekheshk | ol | peni. | tewm | | |
| *Gram. Nos.* | vĕrúakh | ĕlōhím | mĕrākhépheth | al | pené | hammáim. | | | | |
| *Origenem.* | ουρουη | ελωειμ | μεραεφεθ | αλ | φνε | αμαιμ. | | | | |
| *Novatores.* | verukh | aleim | merkhepheth | ol | peni | emim. | | | | |

Ponamus Origenem literas aspiratas exprimere non potuisse, quia Græci eas ignorarunt: *ου* præterea ii sicut Latinorum u efferebant, non ut Angli nostri *aw* sive *au* seu *ow*. Nullam Græci, ad hæc, literam Hebræam ש, nostram *sh*, et Germanorum *sch*, æquipollentem habebant, itaque ii σ inviti scribebant. Notandum quoque, Hebræos ע suam, sicut nostram *w*, non *v* protulisse, ut et Linguæ Sanctæ analogia nos abundè docet. Quare ע per σ expresserint Græcè haud dixerim; suspicor tamen, Hebræos hanc literam ad instar ص swād Arabum, quæ nullum τῆς t sonum agnoscit, enuntiâsse. Darem quoque Origenem officia *του* dagesh vel ignorâsse, vel saltem non semper agnovisse. His positis perspectisque, quisque statim videbit, Origenem vocales usurpâsse, perindè atque exemplar Hebraïcum hodiernum punctatum coràm aspexisset: quod is nullo modo facere potuit, sive Masclefianas, sive cujuslibet novatoris hodierni vocalium appingendi leges, sibi proposuisset.

† In Hexap. Orig. Tom. i. p. 39.

‡ In Hexapl. Orig. Tom. i. p. 42. Videatur et Epiphanii Lib. de Ponderibus et mensuris, at cautè utendus.

§ In var. Vit. Septu. p. 59.

ora libri adscripsere." Antea (i. e. p. 57.) Vir clariss. scripserat: "Primo ubi ad interpretationem τῶν ὁ. aliquantisper mancam addendum aliquid erat, quod cum illorum textu absque mutatione aliquâ non bene construi posset, ibi tàm verbum mutandum, quàm quod ejus loco substituebatur, *lemniscis* notatum cernere est. Sic Josuæ, cap. 8. v. 14. textus habet ÷ ἐξῆλθεν· margo autem ÷ ἐξῆλθον οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως. Et cap. 9. vers. 14 textus ÷ κύριον, margo ÷ στόμα κυρίου. &c."

V. De Hypolemnisco, ita loquitur clariss. Montfaucon, quo exercitatior in his rebus nullus ullibi gentium exstitit. "Potius crederem," inquit, "Hypolemniscum tunc appositum fuisse, cum lectio illa notata, LXX. *Interpretum solum erat*, quod uno subtus lineam posito puncto indicabatur; *Lemniscum* verò cum duobus punctis, quando non LXX. Interpretum tantum, sed etiam Theodotionis erat. Cæterum ex similitudine quæ intercedebat Obelos inter et Lemniscos atque Hypolemniscos; non solum quantum ad formam, sed etiam quantum ad usum, factum est ut Lemnisci pro Obelis sint habiti." *

VI. Editiones demùm hæ, *Tetrapla* scilicet, et *Hexapla*, (plures enim non exstabant: *Octapla* namque *Enneaplaque* ad editionem Hexaplarem pertinebant; Versiones eæ quæ numerum illum senarium excedebant, in quibusdam tantummodo libris comparebant.) Doctiorum manibus plerumque tritæ sunt, donec tandem Eusebius Pamphilusque Textum Hexaplarem in lucem miserunt. Sed nec ii Editiones Aquilæ, Symmachi, cæterorumque adornârunt, aut in publicum usum ediderunt, Septuaginta autem textum viralem tantummodo, notis Origenianis, Asteriscis, Obelis, Lemniscis, et Hypolemniscis, instructum. At, quùm Lucianus Antiochenus,† eodem anno, Editionem novam τῶν ὁ. ad textum Hebraïcum in omnibus conformatam, necnon Hesychius Alexandrinus, eodem ferè tempore, aliam, item emendatam, in lucem protulerint; factum est ut Editio Eusebii Pamphilique in Ecclesiis Hierosolymitanis et Palestinæ modo obtinuerit; Luciani, pari fato, in Antiochenis et Constantinopolitanis: Hesychii ‡ verò, in Alexandrinis cæterisque Ægyptiis; adeò ut, teste Hieronymo, totus Orbis hàc inter se contrariâ varietate compugnaverit.

VII. Eusebius Cæsareensis præterea haud multo post, quinquaginta σωμάτια, sive Bibliorum Codices integros, ad Exemplar Origenianum correctos, atque in voluminibus splendidè ornatis, Constantini jussu, ut ipse quidem refert (lib. iv. cap. xxxvi.) in vitâ Constantini Magni, ad Constantinopolin misit in Ecclesiis utendos. Si igitur Luciani editio item in Constantinopolitanis Ecclesiis obtinuerat, uti vult Hieronymus, in duas partes abiisse Ecclesias necessè est. Utut tamen res fuerit, non potuit quin brevi tempore, ingentes lectionum discrepantiæ confusionesque in Græcis exemplaribus conspicerentur: oscitantibus enim Librariis, facilè, vel partim vel omninò, omitti potuerunt notæ illæ Origenianæ; lectiones denique Theodotionis cæterorumque, cum Septuaginta viralibus commisceri, confundi: in nonnullis item, eæ quæ Luciano, vel etiam Hesychio, privæ fuerint, in textum ab Origene emendatum recipi, immanemque indè illam varietatis sylvam conficere, quæ cuique, Lectionis Græcæ varietatem planè mirabilem dispicienti, se obviam sistit.§ Tristia igitur fata, quæ Versioni huic subienda erant, nulla fortassis ullibi gentium experta est aut Versio Bibliorum sacra, aut scriptio quævis humana. Sed, neque emendationes Origenis ubique obtinuerunt, quod abundè testantur exemplaria ad hodiernam diem servata.—Η κοινὴ, enim, quicquid alioquin honoris Doctissimi laboribus *Adamantii* attribuerint, in Ecclesiis ut plurimum auctoritatem suam sartam tectam servavit: lectio tamen una et altera hinc indè Origeniana, in exemplaria irrepserunt: ita ut libri nonnulli ad textum Hexaplarem magis quàm ad τὴν κοινὴν, appropinquare videantur, ut et Codici Alexandrino accidit.‖ Romanus tamen codex, qui cum Patrum citationibus maximè convenire deprehenditur, et ex quo Editiones ferè omnes nostræ desumptæ sunt, textum τῆς κοινῆς in plerisque etiamnum servat.¶ Judæorum igitur corruptionibus, sive sponte seu casu factis, addendæ sunt hallucinationes tum

---

* Hexap. Orig. Tom. i. p. 42.

† Clariss. Holmesius in id proclivis est ut credat, Luci anm Textum *Tetraplarem* Origenis fundamentum emendationis suæ posuisse, atque indè Origenis exemplo fretus, lectiones Theodotionis suas plerumque fecisse. Nihil tamen hujusmodi memoriæ tradiderunt Scriptores Ecclesiastici. Hoc tantum asseruerunt; Lucianum exemplaria Græca corrupta, ex Hebraïcis, multo labore, refecisse: undè et Editionem ejus Ecclesiis, quam LXX. inemendata, multò cariorem evasisse. Crediderim itaque eum, notas criticas Origenianas nullas adhibuisse, verum textum æquabili filo currentem Ecclesiis dedisse.

‡ Vix quicquam de Hesychii editione pro comperto habemus. Holmesius autumat eam super Textum Tetraplarem fuisse exstructam, eò quod Coptorum Biblia illuc tendere videantur. Hieronymum has Editiones summatim improbâsse certo certius est: ait enim in Præf. in Evang. ad Damasum. "Prætermitto eos codices, quos à Luciano et Hesychio nuncupatos, *paucorum hominum asserit perversa contentio:* quibus utique nec in toto veteri instrumento post septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in novo profuit emendasse; cum multarum gentium linguis scriptura ante translata, doceat *falsa esse quæ addita sunt.*" Synodus Romana præterea eas damnavit: quod Hodius, ad versionem Latinam ndè corruptam collimare putat. Sed utrumque eodem redit: Latini enim sua exemplaria indè corrumpere haud potuissent, nisi codices Græci harum editionum fuissent prius contaminati. (vide Hod. pp. 629—632.)

§ Quod, ni fallor, satis erit exploratum, vel perspectâ immani varietate inter Editiones, Aldinam, Complutensem, et Romanam, in Tom. vi. Polyglott. Lond. ob oculos positâ. Testimonium Hieronymi his verbis adductum, sc. "*Enimverò cum varietate regionum diversa ferantur exemplaria, et germana illa et antiqua Translatio corrupta sit atque violata,*" (Præf. in Paralip.) sugillat Waltonus, ceu hyperbolicè conceptum: "*Hæc et alia,*" inquit, "*isto loco et alibi in Versionem* LXX. *scribit, quæ licet hyperbolicè ab ipso dicta sint, nec tantam passa esset illa Versio mutationem quantam ille credi voluit; immò ex aliis illius scriptis...ipsum planè contrarium sensisse constat.*" (Prol. x. §. 4.) Aliter sensit equidem de ipsâ Versione ejusque integritate primitivâ; non aliter, ni valdè fallor, de ejus statu; neque potuit Waltonus Hieronymi verba testimonium contrarium perhibentia, in medium proferre, si quid video.

‖ Clariss. Montfaucon. (Hexap. Orig. Tom. i. p. 43.) putat, multa ex Editione Hexaplari in Codicibus Græcis, præsertim Alexandrina, deprehendi posse: "sed etiam," ait, "in Editione Romanâ *non paucæ* deprehenduntur lectiones, quæ ab Hexaplari illa Editione manarunt." Hæc facillimè darem equidem: regesserim, nihilominus, nec Codicem Alexandrinum, nec Romanum, textum ut plurimum Hexaplarem fundere: sed potiùs Editionem ex omnibus conflatam, mirisque modis perturbatam, inquinatam.—Videantur tamen et Grabii Prolegomena, et Apparatus Criticos in ejus Editionem insertos. it. Bengel. Introduct. in crisin. N.T. p. 394, &c.

¶ Editionem Romanam τῶν ὁ. cum optimis vetustissimisque exemplaribus Versionis Italæ in omnibus ferè convenire, affirmat Doctissimus Blanchinus in suis operibus passim, præsertim in Epistolâ ad Garbeleium, in Vindiciis p. CCXXXI. &c. "Et quoniam," inquit, "Itala ex Septuaginta seniorum translatione, quasi ex sancto augustoque fonte dimanat, erant purissimi græci Codices adeundi, quibus ad propositæ inquisitionis exitum veniremus. Omnibus autem omnium optima putatur editio τῶν ὁ Sixti V. &c."—"Codicis Vaticani fidem integritatemque ex Italæ collatione in notis luculenter ostendi. Porro nihil est UNUM UNI TAM SIMILE TAM par, quam Sixtina editio antiquo Interpreti sit; quum in ambobus, fere nulla re differentibus, APPAREAT PERFECTA CONFORMITAS." Hæc fortassis nimis audacter: sunt enim, omni procul dubio, lectiones quædam Origenianæ etiam in Codice Vaticano: at Quis Pontificium tolerare poterit dicentem: "Interest autem plurimum animadvertere, Italam esse omni falsitate Codicum antiquiorem, ac nobis exhibere Versionem τῶν ὁ, qualis Apostolica ætate Christianorum manibus terebatur?"..."Sed," subdit, "in hoc etiam HÆRETICOS castigo, quod EX RECENTIORIBUS TEXTIBUS, et FŒDÈ VITIATIS" (Hebræis sc. fontibus supra proximè nominatis), "non EX PURISSIMIS FONTIBUS de Sacrarum Scripturarum sinceritate existimant." (p. CCXXIII.) Dicam: Dabo exemplar Romanum textum τῆς κοινῆς exhibere; sed minimè ejus antiquitatis ut ætatem Apostolorum exæquaret, quia sc. lectiones Origenis nonnullas habet. Dicam præterea, gloriosum illum Pontificium, dictum ipsius hâc de re, neutiquam stabilire posse: quod et is benè novit. At hominem ulterius urgebo.—Quare Origenes, Hieronymus, hunc ipsum τῆς κοινῆς textum, atque ab Apostolis ipsis nobilitatum, dereliquerunt, et ad fontes Hebraïcos, ceu veritatis scaturigines confugerunt? Quare demum Ecclesia ipsa Romana versionem Hieronymi, ex his fœdè vitiatis fontibus factam, suam fecit, duce fortassis ipso Gregorio? Num hi omnes Hæretici castigandi? Sed et fons iste Hebraïcus, unus est et idem etiamnum (exceptis sphalmatis levioribus) ac fuit ipsius Hieronymi diebus: quod et Romanensium Doctissimus Bernardus de Rossi apertè professus est. Mirum quantum partium studium humana pectora cogat! Grabius, Codicem Romanum, in Libro Judicum textum Hesychianum sistere scribit; Alexandrinum verò textum Lucianeum in Jobo. Ecclesiastem Aquilæ versionem, Danielem Theodotionis, si non et Paralipomena, exhibere plurimi credunt.

Pseudo-Criticorum tum Librariorum dormitantium Christianorum, longissimo, inquam, temporis intervallo factæ, textuique, indè miserè fœdato, illatæ. Mirandum, ni valdè fallor, tantum textûs originarii, quantum in Septuaginta virali hodiè conspiciendum est, ad manus nostras usque pervenisse: præsertim cum Judæi tum Christiani, aut sponte aut inscitiâ eum pravare, pravatumque pro authentico venditare, tamdiu perrexerint. Magis verò sunt virorum optimorum hâc de re hallucinationes mirandæ. Augustinus enim, nescio quo fato, additamenta, defectusque hujus adeò defœdatæ versionis, ad Spiritûs Sancti operationes referre non dubitavit...." Aut," inquit, (de civitate Dei, lib. 18. c. 43.) " si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est, Spiritus enim qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat in Septuaginta viris, quando illa interpretati sunt."..." Quicquid vero," subdit, " est apud LXX. in Hebræis autem codicibus non est, per istos ea maluit, quam per illos idem Spiritus dicere, sic ostendens utrosque fuisse Prophetas."—Non dubitarem equidem, Interpretes, quicunque ii tandem fuerint qui nomen *τῶν ὁ.* adepti sunt, optimos sanè evasisse; eorumque versionem quondam, quoad Pentateuchum saltem, præstantissimam fuisse. At dixerim, cautissimè hodieque cum iis agendum, ne forte criticastri cujusvis scitum, pro lectione genuinâ, sumas: at, quo jure versionis cujuslibet varietates ab archetypo suo ad Auctorem ejus referantur, non dixerim.

VIII. Versio *τῶν ὁ.* uti hodiè se habet, nævis supradictis non modò laborat, sed et additionibus, transpositionibus, lacunis, permultis deformata est. In additionibus, Libros Apocryphos ceu omnibus notos missos faciam, dicamque et in libris canonicis non pauca hujusmodi assumenta, sive ea è notis marginalibus, sive è versionibus suprà dictis, desumpta fuerint, in textum illata sunt. Hujus generis quædam anteà dedimus (p. 7, &c.). Lector ad libitum ea adaugere poterit. Ad transpositiones quod attinet, tabulæ sequentes eas monstrabunt simul atque corrigent. Primam construxit clariss. Wetstenius, deditque ad citata Origenis. " *Exod. cap.* xxxvi. *versus septem priores concordant cum Hebræis: reliqua ad finem usque transposita sunt ex cap.* xxxix. *à versu* 1. *usque ad versum* 31. *inclusivè, mutilato tantùm versu* 3. *Caput* xxvii. *intricatius: ejus initium petitur ex cap.* xxxvi. *Hebr. versu* 8. *ex parte truncato, et versu* 9; *post, omissis* 25. *versibus, saltum facit ad versum* 35. *ejusdem Capitis* xxxvi. *subjungens versus* 36, 37, 38. *mox assuit ex Cap.* xxxviii. *versus* 9, 10, 11, *et* 12, *(hos duos mutilat)* 13, 14, *usque ad* 23. *inclusivè. Caput* xxxviii. *mirè est corrasum ex cap.* xxxvii. *vers.* 1, 2, *(qui truncantur)* 3, 4. *omittitur;* 5. *ex parte adducitur cum* 6, *et* 7. *deinde sequitur v.* 8, 9, 10; *rursus omittuntur v.* 11. *et* 12. *subjungitur v.* 13, 14, *et* 15 *ex parte,* 16, 17, 18, 19, 22, 23. *Indè saltat ad cap.* xxxvi. *v.* 34, 12, 13, 18, 38. *his quatuor mutilatis. Mox transit ad cap.* xxxviii. *v.* 20. 1 *et* 2. *truncatis,* 3, 4, 5. *post ad cap.* xxxvii. *vers.* 29. *rursus ad cap.* xxxviii. *vers.* 8. *tandem ad cap.* xxx. *v.* 19. *Caput* xxxix. *ex similibus laciniis est consutum. Petuntur enim verba ex cap.* xxxviii. *v.* 24, 25. *et seqq. ad* 31. *usque. Inde transit ad cap.* xxxix. *v.* 32. *mox assuit nonnulla; postea è versu* 41, 33, 35, 38, 37, 36, 41, 40, 34, 42, 43. *verba tam mutila et perverso ordine adducit, ut divinandum sit, quorsum tendant.*"

IX. *Tabula hæcce in Critica Sacra Capelli Lib.* iv. *cap.* 14. *et deinde in Polyglottis Londinensibus ad Cap.* xxv. *Jeremiæ data est, ad corrigendas transpositiones in Textu Græco inibi et deinceps repertas.* (Vide. et Biblia hæcce ibid.)

| Cap. xxv. ad vers. 14 concordat cum Græc. | Cap. xxv. ad v. 14. |
|---|---|
| xxv. a v. 14 ad finem | xxxii. |
| xxvi. | xxxiii. |
| xxvii. ad vers. 19 | xxxiv. |
| a v. 19. ad finem | desunt. |
| xxviii. | xxxv. |
| xxix. | xxxvi. |
| xxx. | xxxvii. |
| xxxi. | xxxviii. |
| xxxii. | xxxix. |
| xxxiii. ad vers. 14. | xl. |
| à vers. 14 ad finem | desunt. |
| xxxiv. | xli. |
| xxxv. | xlii. |
| xxxvi. | xliii. |
| xxxvii. | xliv. |
| xxxviii. | xlv. |
| xxxix. vers. tres priores et 5. postremi | xlvi. |
| à vers. 3. ad 14. | desunt. |
| xl. | xlvii. |
| xli. | xlviii. |
| xlii. | xlix. |
| xliii. | l. |
| xliv. | li. ad vers. 31. |
| xlv. | li. a vers. 31. ad finem. |
| xlvi. | xxvi. |
| xlvii. | xxix. vers. 7. priores. |
| xlviii. ad vers. 45. | xxxi. |
| à vers. 45. ad finem. | desunt. |
| xlix. vers. 5 priores. | xxx. vers. 5 priores. |
| à vers. 7. ad 23. | xxix. à vers. 7. ad finem. |
| à vers. 23 ad 28. | xxx. vers. 5. postremi. |
| à vers. 28 ad 34. | xxx. post vers. 5 sex sequentes. |
| à vers. 34 ad finem. | xxv. à vers. 13. ad finem. |
| l. | xxvii. |
| li. | xxviii. |
| lii. | lii. |

In Psalmis hæc apud *τοὺς ὁ.* divisio obtinet: Hebræorum ix. et x. unum conficiunt Psalmum Græcum; indè Græcorum numerus Hebræorum uno minor ad cxiii. usque currit: Psalmus autem cxiii. Græcus Hebræorum duos complectitur, sc. Heb. cxiv. et cxv. Græcorum demùm cxiv. in duos dispescitur; atque adeò, Græcorum numerus indè ad Psalmum cxlvi. Hebræorum uno minor est sicut anteà: Græcorum denique cxlvi. et cxlvii. ad unum Hebræorum, sc. cxlvii. respondent: numeri utriusque posthâc concurrunt, nisi quod Græci unum ultimo Hebræorum adjungunt, qui omninò Apocryphus est. Item in Proverbiorum Libro in Græcâ Romanæ necnon hujus editionis, cap. xxiv. et quæ post vers. 34. usque ad finem capitis occurrunt, ea in Hebræo cap. xxx. à versu 15. ad versum 9 usque capitis xxxi. habentur.

X. Ex his additionibus, transpositionibus, defectibus, multas adnotârunt tum Origenes tum Hieronymus, atque ad textum Hebraïcum correxerunt, transposuerunt: undè et liquido constabit, exemplaria hodierna non ex Hexaplaribus fuisse desumpta, alioquin ea hujusmodi corruptiones transpositionesque non agnovissent. Ita Origenes de istiusmodi additamentis loquitur. In Comment. in Joann. p. 361. de Num. cap. xxiii. v. 6. *Τό δε, ἐγενήθη πνεῦμα Θεοῦ ἐπ' αὐτῷ, ὠβελίσαμεν, μήτε αὐτὸ μήτε παραπλήσιόν τι αὐτῷ εὑρόντες ἐν ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσι. Hoc enim, factus est spiritus Dei super illum, obelo notavimus, neque illud, neque quid ei simile invenientes in cæteris editionibus.* (i. e. Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, &c.) Hieronymus in præfatione ad Estheram, ita queritur: " *Quem,*" inquit," *librum Editio vulgata laciniosis hine indè verborum sinibus trahit: addens ea quæ ex tempore dici poterant et audiri, sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumto themate, excogitare, quibus verbis uti potuit qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit.*"

XI. Laciniam præterea ad finem Jobi Criticaster quidam, respiciens fortassis, uti vult Grabius, cap. xix. v. 25 et seqq. necnon traditionem quandam è cap. Gen. xxxvi. v. 33. exortam, textui addere non dubitavit. Cæterum defectus in Jobo Jeremiâque nonnullos insignes, his verbis ad Africanum in Epistolâ factis, ita adnotavit Origenes: *Πάλιν τε αὖ πλειστά τε ὅσα διὰ μέσου ὅλου τοῦ Ἰὼβ παρ' Ἑβραίοις μὲν κεῖται, παρ' ἡμῖν δὲ οὐχί· καὶ πολλάκις μὲν ἔπη τέσσαρα ἢ τρία, ἐσθ' ὅτε δε' καὶ δεκατέσσαρα καὶ δέκα ἐννέα, (καὶ ἓξ) καὶ τί με δεῖ καταλέγειν; ἃ μετὰ πολλοῦ καμάτου ἀνελεξάμεθα, ὑπὲρ τοῦ μὴ λανθάνειν ἡμᾶς τὴν διαφορὰν τῶν παρὰ Ἰουδαίοις καὶ ἡμῖν ἀντιγράφων· πολλὰ δὲ τοιαῦτα καὶ ἐν τῷ Ἱερεμίᾳ κατανοήσαμεν, ἐν ᾧ καὶ πολλὴν μετά-*

*θεσιν καὶ ἐναλλαγὴν τῆς λέξεως τῶν προφητευομένων εὕρομεν. Rursum per medium totum Jobum apud Hebræos posita reperiuntur, non item apud nos; et sæpè quidem versus quatuor vel tres, interdum quatuordecim et novendecim (et sedecim) et quid me oportet enumerare? quæ multo labore collegimus, ne vos lateret discrimen Judaïcorum nostrorumque Exemplarium. Multa autem ejusmodi deprehendimus quoque in Jeremia: in quo et frequentes transpositiones ac permutationes vaticiniorum invenimus.*" Plura desiderantes adeant Clariss. Grabii Dissertationem de variis vitiis LXX. Interpretum. Oxon. 1710.

XI. Duæ sunt quæstiones magni equidem momenti, quas delibare duntaxat oportet, limites verò nostri ad liquidum perducere non sinunt. Prima, Quî factum est ut Pentateuchus *τῶν ὁ.* cum Exemplari Samaritanorum Hebraïco, tot in locis concordet? Altera: Quare Evangelistæ Apostolique, in citando Vetere Instrumento, tóties verba *τῶν ὁ.* protulerunt, eaque nonnunquàm cum Archetypo Hebraïco minimè conspirantia?—Paucis, quantum in me est, utrique satisfacere pergam. Ad Primam: Judæos Alexandrinos exemplari Samaritico usos fuisse in suâ versione Græcâ concinnandâ, credere nequeo: id enim odii inter utramque gentem exarsisse videtur, ut illos suam scripturam ex horum exemplaribus hausisse incredibile omninò esset: neque, si id fecissent, aut Philo aut Josephus laudes, quales ii re verâ in versionem Græcam cumulârunt, de eâ, si ex fonte Samaritico sumpta fuisset, unquam habiturus esset. Neque, ut Morini* sententiam meam faciam, si eorum temporibus ex Samaritico inquinata esset, ita ii de eâ verba fecissent. Undè nævos suos Exemplar Samaritîcum contraxerit, jam ex sententiâ Doctiss. Gesenii vidimus. Vidimus quoque quâ facilitate Christiani Veteres Exemplaria sua Græca corruperint. Quid igitur impedit, quin Christiani, lectionis facilitatem captantes, ut et Samaritani anteà fecerant, exemplaria sua hinc indè glossis primò Samaritîcis insperserint, quas posteà in textum receperint Librarii incauti, (vel potius gavisi se hujusmodi supplementa reperisse) ut omnia filo liquidiori faciliorique currerent? Ante tempora N. C. hujusmodi in textu Græco esse corruptiones nemo veterum memoriæ prodidit. Neque, quod magni est in hâc quæstione momenti, versio *τῶν ὁ.* in *omnibus*, vel etiam parte ejus decimâ, cum Exemplari Samaritano Hebræo etiamnum concordat; quod utique haud factum fuisset, si Illa Hujusce Versio re verâ esset. Neque, quod adhùc majoris est, in Chronologiâ Patriarcharum conspirant; at, si altera alterius esset versio, quomodo fieri quiverit sanè nescio, ut tanto intervallo, vel hâc in re, ab alterutrâ distare potuerint. Perspecto verò, aut syllabo Hottingeri,† aut varietatis lectionis sylloge in Tomo vi. Bibliorum Polyglottorum Londinensium à Clarissimo Waltono datâ, quisque statim videbit, hujusmodi conspirationes, si non omninò fortuitæ censendæ sint, rariores tamen esse quam ut datâ operâ, aut denique Versione ex Samaritico versa, ortum habuerint.

XII. Altera quæstio paulò est difficilior atque majoris momenti; quæ nobis de eâ comperta sunt, paucis dabimus. Cautissimè tenendum est, *Crisin* Scripturæ Sacræ *literalem* alteram esse; usum autem ejus *exegeticum* alterum. Quando enim quæstio est de translatione, vel etiam analysi ejus criticâ, loquimur eâ de re, quæ, respectu ad usus verborum ac leges Grammatices habito, comparationem ita instituit ut altera alteri respondere ubique reperiatur. Atqui, cum de exegetico ejus usu quæstio est, non de hujuscemodi convenientiâ agitur; verùm de eâ, quæ sensum didacticum Scriptoris tantummodo respiciat: qui et figuratas, typicas, metaphoricas, cæterasque id genus locutiones, complecti possit, relicto, non neglecto, sensu ejus literali. Hoc igitur respectu, haud multum interereit, annè versio in usum Ecclesiæ cusa in omnibus, literis sc. apiculis, phrasibus, cæterisque grammaticalibus, ad amussim usque concordet; si demùm vis didactica Scriptoris Sacri, ita eluceat, ut Lectores eam facile deprehendere queant. Et hinc est, ni fallor, quod versiones nonnullæ rudiores, plus ad Ecclesiam erigendam profecerint, quam omnia omnium temporum Criticorum conamina efficere potuerunt. Septuaginta enim viralem ejusque filiam *Italam*, Idololatriam, barbariemque pænè omnem hucusque divinâ luce profligatam, Præconum Ecclesiæ ope profligâsse omnes nôrunt: non dixerim tamen, quod necessè fuerit eas idcircò esse rudes, longè enim aliter sentio; sed eas quamvis rudes veritatem salutarem ut plurimum palàm fecisse.

XIII. Scimus versionem *τῶν ὁ.* apud Judæos præsertim Hellenistas, tempore Apostolorum, maximam fuisse adeptam auctoritatem. Cum his igitur argumentantes Apostoli, cum satis ad rem suam faciebat Versio *τῶν ὁ.* nihil antiquiùs habere solebant, quam ejus dicta coràm proferre, atque auditoribus explanare: hoc tamen in omnibus non fecerunt; quandóque enim sensum solum ii respexisse videntur, relicto tùm Archetypo Hebraïco, tùm versione *τῶν ὁ.* quoad crisin literalem; quod et fas erat, *res*, non *voces*, stabilire conantibus: et ita Theologi hodie sæpenumerò, illæsâ veritate, faciunt, atque fortassis semper facient. His igitur positis, expendamus demùm, exempli gratiâ, unum et alterum locum.

XIV. Prima citatio in Evangeliis occurrens, ita se habet (Matt. i. 23.): *Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ.* In versione *τῶν ὁ*: *Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουὴλ.* In textu verò Hebraïco: הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּאֵל. *Ecce virgo illa prægnans (est) et parturiens filium, et vocabit nomen ejus Immanuel.* Loquitur Propheta tanquàm res ipsa sibi coràm sisteretur: quod neque Evangelista neque LXX. fecit: sed et in cæteris dissentiunt, eo usque ut credere nequeo Evangelistam, versionem *τῶν ὁ.* hîc loci citâsse. Conveniunt tamen amicissimè in re præcipuâ; Vates enim, omni procul dubio, rem futuram prædicit: eandem utraque versio clarissimè pandit: atque ad hanc illustrandam probandamque, locum excitat Evangelista.

XV. Secunda occurrit ibidem cap. ii. v. 6. *Καὶ σὺ Βηθλεὲμ, γῇ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου, τὸν Ἰσραὴλ.*—Ita LXX. *καὶ σὺ βηθλεὲμ οἶκος Ἐφραθὰ, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται, τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραὴλ.* Textus verò Hebraïcus: וְאַתָּה בֵּית לֶחֶם אֶפְרָתָה צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל. *Et tu Beth Lehem Ephratha parva τῷ esse, in millibus Judæ? ex te mihi prodibit* (quisquam) *τῷ esse Princeps in Israel.* Paulò liberius: *Et tu Beth Lehem Ephratha, num es parvus in millibus Judæ?* (Quinimò) *ex te mihi prodibit quidam regnaturus in Israel.* In his major dissensio ab alterutrâ et Archetypo Hebraïco conspicitur: eundem tamen eventum omnes prædicunt; quod vel particula negativa ab Evangelista usurpata minimè impedit.

XVI. Tertia adhûc spinosior est sc. ib. cap. ii. 15. *Ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.*—LXX. *Ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ.* Textus Heb. וּמִמִּצְרַיִם קָרָאתִי לִבְנִי, A (temporibus servitutis) Egypti nomen dedi filio meo. i. e. Cum Israel jam puer esset eum adamavi; atque à temporibus iisdem, (i. e. antequàm in gentem liberam excreverat) filium eum meum nomine salutavi. Evangelista, idem, ni fallor prædicat, vocibus omnibus, sensu atque constructione Hebraïcâ, sumptis: atque adeò id quod Propheta *τῷ* Israel olim adscripserat, Evangelista, hâc occasione, Christo, similem quodammodo conservationem experto; filii verò nomen sensu longè digniori. Locus ad adoptionem Israel, meâ quidem sententiâ, in ore

* Hottinger. Thes. Philol. p. 301.

† Ib. p. 294, &c.

Prophetæ spectabat, non ad ejus tantummodo ex Egypto liberationem, quo sensu LXX. perperàm eum intelligere videntur: primario tamen et veriore sensu ad Christum ipsum, qui non modo ex Israel secundum carnem oriundus erat, verùm et ejus Sacerdos, Propheta, Rex, futurus. Hujus igitur textûs mens mihi *ἀντιληπτικὴ* esse videtur, eodem planè modo, quo et multa de Davide aliisque dicta sunt, quæ tamen propriè in Christum collineabant. Interpretantur nonnulli hæc dicta, acsi Dominus noster in patriam suam ex Ægypto redux jam factus fuisset: at notatu dignum, hæc prolata fuisse, non postquàm mentionem de reditu D. N. in Nazareth fecerat Evangelista, sed cum is adhùc in Ægypto degebat. Sin igitur liberatio Israelitarum ex Ægypto in mente Evangelistæ esset, ut hanc cum liberatione D. N. ex Ægypto conferret cum hæc scripsit, necessè fuisset, ut eam cum liberatione Christi ex Egypto, qui tamen adhùc ex Ægypto profectus non fuerat, contulisset. Locus igitur apud utrumque Ecclesiam Christi, sub ejus nomine, ceu liberatam firmatamque *ἀντιληπτικῶς* respicit.

XVII. Locus alius est Heb. x. 5. qui multis crux fuit, neque adhùc, meâ qualicunque sententiâ, ad liquidum perductus. Apostolus ita loquitur: *Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι·* quæ ipsissima sunt verba *τῶν ὁ.* Textus Hebraïcus est in Ps. xl. 7: וְאָזְנַיִם כָּרִיתָ לִי מִנְחָה וּזְבַח לֹא שָׁאָלְתָּ. *Sacrificium et munus non voluisti, aures effodisti mihi.* Alterum mihi videtur textus Hebraïcus innuere, alterum quoad literam LXX. interpretes; quæ, nihilominùs, in eundem scopum collimant. Psaltes, ni valdè fallor, apertè docet, quod et 1. Sam. xv. 22. item clarissimè prædicatur, obedientiam sc. sacrificiis præstantiorem esse, addit enim: *Holocaustum et (sacrificium pro) peccato non postulâsti: Tunc dixi, Ecce venio. In volumine Libri scriptum est de me, ut facerem* VOLUNTATEM TUAM: *Deus meus* VOLUI, ET LEX TUA (est) IN MEDIO VISCERUM MEORUM, &c." Phrasin itaque אָזְנַיִם כָּרִיתָ accipio, ceu significantem, *aures meas ita aperuisti, ut mandatis tuis in omnibus auscultarem.** Ad hunc locum fortassis respexit Christus cum dixerit (Joan. iv. 34.) *Ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πεμψαντός με, καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον*: et ad mortem suam in ultimis his verbis certè allusit. Apostolus, quoque, eandem materiam tractans, ad mortem Christi tandem pervenit. (Epist. ad Philip. cap. ii. v. 7, &c.) *Ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος· Ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ.* Neque aliud respexisse potuit Psaltes, cum ad prædictiones Scripturales provocavit, quod sc. ita literis fuerit mandatum *in volumine libri:* quod et is à vers. 12. ad 15. usque ejusdem Psalmi aliis verbis apertè testatur. Idem sanè habet Apostolus in loco citato, ita demùm concludens: *Ἐν ᾧ θελήματι ἡγιασμένοι ἐσμὲν διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος Ἰησοῦ χριστοῦ ἐφάπαξ.* Et denique v. 14. ipsissimo Domini nostri vocabulo utens, dicit: *Μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους.* Locum igitur Apostolus, *σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι*, eo sensu, uti mihi videtur, accepit, ut corpus Christi hîc ad immolationem adaptatum intelligeretur. Dubitem verò an LXX. ita locum acceperint: crederem potiùs eos, locum ad inimicorum Davidis subjugationem respicere putâsse, adeò ut servorum instar, illi ei in perpetuum essent servituri, Phrasinque אָזְנַיִם כָּרָה, consuetudinem in Exod. xxi. 6. et Deut. xv. 17. commemoratam innuere. Utut tamen hæc res fuerit, certum est, tum Psalten tum Apostolum, scopum eundem omninò attingere: obedientiam sc. alicujus Davide dignitate majoris, in morte suimetipsius finem habere: ita Psaltes, apertiùs verò Apostolus, hoc ad sacrificium Domini nostri semel pro omnibus oblatum, respicere docet.

* Videatur Simonis Lexicon sub voce אָזַן. Indè nobis aures circumcisæ, sive à quibus velamen jam semotum est, idem sonat atque obedientes sumus.

XVIII. His fortassis difficiliora non reperientur loca: quo demùm successu iis rimandis usus fuerim, alii judicabunt. Unum me monstrâsse, ni fallor, gloriarer: Crisin sc. literalem, à crisi exegeticâ didacticâ, alienam prorsùs esse, atque jure ita esse debere. Qui igitur Evangelistas Apostolosve improbatum ibunt, eo quod criseos grammaticalis leges haud servaverint, quod et multi crebrò fecêrunt, ipsorum inscitiam incauti, non illorum socordiam, omnibus in propatulo ponent.

XIX. Ex his quoque satis clarè patebit, quam lubricam tractandi materiam sibi Lud. Capellus emendandi coarguendique textum Masorethicum Hebraïcum sumpserit: atque quàm sit difficile demonstrare inter tot Editionum varietates, quibus in locis Interpretes ipsi Alexandrini primitùs errârint. Segetem equidem sat largam collegerunt Capellus, Hottingerus, Carpzovius aliique ostensuri, Interpretes, aut Codices non punctatos usurpâsse, aut demùm literis similibus nonnunquam deceptos fuisse, aut denique inscitiâ hallucinatos errâsse. Hæc fateor ii sat ingeniosè et acutè, nec veritatis specie destituti, tractârunt: ingeniosiores tamen fortassis semet præbuêre, quam ad veritatem factos propinquiores. Ad me quod attinet, nullus dubito quin is, qui hanc versionem ad pristinum suum nitorem restitutum eat, viribus plusquam humanis præditus esse debuerit.

*Editiones* LXX. *potiores sunt hæ sequentes.*

I. COMPLUTENSIS in Bibliis Polyglottis Complutensibus. (Anno 1517.) Undè Textum suum hauserint Editores ambigerunt Viri docti: at, quum ii eum ad Hebræum Archetypum conspirare fecerint, quoad transpositiones, &c. suprà memoratas, necnon in lectionibus quamplurimis, multi eos id ex ingenio suo fecisse crediderunt, notâque indè infamiæ Editionem usêrunt: sed fortassè immeritò. Ex hâc, Biblia Regia Antverpiæ (Anno 1571.); Sautaudreana, Genev. (Ann. 1596.); Commeliniana (Ann. 1599.); Polyglotta Parisiensia (Ann. 1645.), ad literam impressa sunt.

II. EDITIONEM ALDINAM Venetiis (Ann. 1518. fol.), edente *Aldo*, curâ autem *Andreæ Asulani*, ex MSS. Codicibus expressam, multa ex Theodotione, aliisque Interpretibus, habere asseruerunt *Masius* et *Usserius* Armachanus. Hanc *κατὰ ποδὰ* sequuntur Argentinensis (Ann. 1526. 8vo.) Basileensis (Ann. 1545. fol.) Basileenses Græco-Latinæ (Ann. 1556. 1582. 8vo.) et Francofurtensis Græca. (Ann. 1597. fol.)

III. ROMANA. Hæc Editio è MSS. Vaticanis, Cod. Cardinalis Bessarionis, aliisque pervetustis, sumpta est: Editoribus id sibi licentiæ sumentibus, ut orthographiam immutarent, sphalmataque Librariorum quæcunque corrigerent. Auctoritate Sixti V. munita in lucem prodiit (Ann. 1587. fol.). Hanc sequuti sunt, *Londinensis* in Polyglottis Waltoni (Ann. 1657.), *Londinensis* (Ann. 1653. 8vo.), *Cantabrigiensis* cum præfatione Pearsoni (Ann. 1665. 12mo.), *Amstelodamensis* (Ann. 1683. 8vo.), *Lipsiensis* (Ann. 1697.), *Franequerana*, curâ Lamberti Bos (Ann. 1709. 4to.), *Amstelodamensis*, vel *Ultrajectina*, curante *Dav. Millio* (Ann. 1725. 8vo.), *Lipsiensis*, curante Reineccio (Ann. 1730. 1757.) *Hallensis*, (Ann. 1759. 12mo.), Hæc *Bagsteriana Londinensis* (Ann. 1821.) cui adjiciuntur Lectiones variæ Ed. Grabii,—*Et Holmesiana Oxoniensis*, cum supellectili lectionum variantium immani, (Ann. 1798—1828.), *Oxoniensis*, 8vo. (Ann. 1817.), et demùm *Glasguensis* (Ann. 1822.) in 12mo.

IV. *Oxoniensis* Grabii, Codicem Alexandrinum in omnibus sistens, sigla præterea Origeniana, emendationesque ex Codicibus MSS. undique corrasas, exhibens; Prolegomenis item aliisque apparatibus criticis copiosis instructa. (Ann. 1707. fol.) Duos Tomos, primum et quartum, edidit ipse Grabius; duos, sc. secundum et tertium post mortem Grabii, Franciscus Lee ope alicujus anonymi. Eâ tamen solertiâ usum fuisse Grabium quâ bonum Criticum oportuit, negant nonnulli Eruditi. Hanc Editionem redintegravit impressitque Breitingerus Tiguri (Ann. 1730-2. 4to.) in quatuor Tomos divisam, variisque lectionis Editionis Romanæ ornatam. Et nuperrimè splendidis-

siméque, formis uncialibus codicem ipsum repræsentanibus opere et studio Rev. F. H. Baber, in folio, ut aiunt, in lucem prodiit

Codicum Manuscriptorum recensionem accuratissimam, quam non patientur limites nostri attingere, dabit Holmesius Doctiss. in Præfatione ad Editionem suam Septuaginta viralem, suprà memoratam. De Editionibus videatur Bibliotheca Sacra Le Longii, curâ Masch.

## SECTIO IV.

### *De Aquilâ ejusque Versionibus S. S. Græcis.*

I. Aquila ex Sinope in Ponto ortus circa Ann. C. N. 160 floruit. Ex Pagano Christianus factus deindè Judæus evasit. Duas Is Scripturarum Sanctarum Versiones Græcas concinnâsse perhibetur: priorem liberiore stylo conscriptam, alteram idiotismis Hebraïcis prorsùs refertam, eo usque ut ea vix Græcè Græca legentibus sonaret. De priore ejus versione, perpauca ad manus nostras pervenerunt: de posteriore multa collegêrunt Viri Docti è Patrum Libris, scholiisque hinc indè excerpta.* Ita de eo loquitur Hieronymus in Epist. ad Pammachium: "Aquila autem," inquit, "proselytus et contentiosus interpres, qui non solum verba, sed etymologias verborum quoque transferre conatus est,† jure projicitur à nobis. Quis enim pro frumento et vino et oleo possit vel legere vel intelligere *χεῦμα, ὀπωρισμὸν, στιλπνότητα*, quod nos possumus dicere *fusionem, pomationem, et splendentiam.* Aut quia Hebræi non solum habent *ἄρθρα*, sed et *πρόαρθρα*, ille *κακοζήλως* et syllabas interpretatur et literas, dicitque *σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν* quod Græca et Latina lingua non recipit."

II. Hanc Hieronymi in Aquilam criminationem satis, ut puto, probabunt loca permulta ex versione ejus adhùc servata: neque esset quo quis refragari potuisset, si cæteris ejus vitiis, Linguæ quoque Hebraïcæ inscitiam addidisset Hieronymus. Quis enim dixerit nisi etymologicè delirans, voculam Græcam *σὺν*, particulæ Hebraicæ את, æquiparare? Aut, si primis demùm labris grammaticen Hebraïcam salutâsset, *κεφάλαιον* voci בְּרֵאשִׁית æqualem esse? missâ *ἔκτισεν*, quæ is fortassis ex ore cujusdam scioli Judæi didicerat, et meliùs ad בָּרָא Hebraïcam, quàm *ἐποίησεν* quadrare crederet? Cujusmodi, si non et pejora, millena pænè ex fragmentis ejus colligenda sunt.

III. Alia Patrum criminatio in hoc fuit, quod et is Scripturas vitiosè transtulerat, eo consilio ut vaticinia de Christo, aut interpretando obscuraret, aut demùm aliò detorqueret. Hujus generis unam profert Justinus Martyr. in dialogo suo cum Tryphone Judæo, quæ ita se habet: *ἰδοὺ ἡ νεανὶς ἐν γαστρὶ λέψεται καὶ τέξεται υἱὸν*: cùm *οἱ ὁ.* locum reddiderant: *ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει καὶ τέξεται υἱὸν.* "Sed quid discriminis," inquit Baverus, (Crit. Sacr. p. 275.) "interest inter *ἡ παρθένος*, quâ voce LXX. usi sunt, et inter *νεανὶς*, quam Aquila et Theodotio posuerunt?" Perquàm acutè profecto! Dixerim primò, si nulla omninò esset discrepantia, quod innuere videtur Baverus, quæri potest, cur Aquila et Theodotio à receptâ *τῶν ὁ.* versione recessêre? Aut denique, cur Justinus de hâc versione querelam movit? Mihi quidem, immane quantum discriminis inter hasce versiones interesse videtur, ad quæstionem de natalibus Christi quod attinet. Nihil discriminis equidem videre potuit Neologus iste, qualem fortassis et ipse se dudum præbuerat Aquila!

IV. Plura adducere necessè non erit, præsertim cum Opus Montfaucon splendidissimum ea suppeditabit.—Hieronymus tamen sententiam quandóque amiciorem de Aquilâ profert: "Aquila," inquit, "qui non contentiosus, ut quidam putant, sed studiosus verbum interpretatur ad verbum."‡ Et in Epistolâ ad Marcellam: "Jam pridem cum voluminibus Hebræorum Editionem Aquilæ confero, ne quid propter odium Christi Synagoga mutaverit; et, ut amicæ menti fatear, quæ ad nostram fidem pertineant roborandam plura reperio." Neque valdè clarus in multis Hieronymus: quod parùm refert, quandoquidem Aquileana sat multa prostant, et lingua Hebraïca haud prorsùs est etiamnum demortua.

## SECTIO V.

### *De Symmacho versioneque ejus Græcâ.*

I. Natione Samaritam fuisse Symmachum memoriæ prodiderunt Eusebius, Hieronymus, Epiphanius, Auctor Synopseos, et alii nonnulli: qui, quùm ad summos honores in Republicâ Samaritică pervenire non potuerit, ad Judæos, uti perhibet Epiphanius, ad Ebionitas verò, uti volunt Eusebius et Hieronymus, migravit: atque, ut fidem suorum coargueret, versionemque eorum SS. Græcam cassam redderet, novam ex Hebraïco fonte operosus elaboravit, et in lucem haud multo post annum C. N. 177. emisit.

II. Symmachus Versionem Aquilæ in suâ concinnandâ usurpâsse nemo fortassis, utrâque perspectâ, inficiabitur: morem tamen modumque interpretandi longè meliorem, eum suum fecisse, versio ejus abundè testatur: atque, ni valdè fallor, Aquilâ in omnibus se exercitatiorem ostendit. Aquila, uti suprà vidimus, *κακοζηλίᾳ* quâdam ductus, vocabulorum infelix etymologias carpebat, vix Græcè scriptitans. Symmachus his nugis minimè delectatus, veras assecutus est nonnunquam *Hebraïsmorum*, ut aiunt, solutiones, Græcas item veneres leporesque felicissimè proferens; adeò ut de ejus Versione quondam exclamavit Eusebius, *σφόδρα θαυμαστῶς ὁ Σύμμαχος*: et *Σαφέστερον ὁ Σύμμαχος*: et, *οὕτως ἡρμήνευσε θαυμαστῶς ὁ Σύμμαχος.*§ Hieronymus verò dixisse perhibetur, "Eum apertiùs et manifestiùs interpretatum esse; et Symmachum non solere verborum *κακοζηλίαν*, sed intelligentiæ ordinem sequi." ‖

III. Non defuerunt tamen qui Symmachi versionem, utpotè quæ gustui ipsorum minimè conveniret, improbârint. Eorum quidam Theodorus Heracleotes, ita de versione illius Ps. lxvii. (Heb. lxviii.) v. 31. *συνόδῳ παμμεγεθῶν, congregationi prægrandium*, Heb. עֲדַת אֲבִירִים, ubi *οἱ ὁ.* habent, *ἡ συναγωγὴ τῶν ταύρων*, sensit, ut, demptâ Taurorum mentione, loci *ἐνέργεια* quodammodo diminueretur. At pace ejus dixerim, Heroum notio quàm Taurorum, grandius mihi quid sonat, atque adeò *ἐνέργειαν* potiùs adauget quam diminuit. Vereor tamen Symmachum alio respectu, se hoc in loco multo inferiorem Interpretem *τῶν ὁ.* præbuisse. Ita enim Hebraïca se habent: גְּעַר חַיַּת קָנֶה עֲדַת אֲבִירִים בְּעֶגְלֵי עַמִּים מִתְרַפֵּס בְּרַצֵּי כָסֶף בַּזֵּר עַמִּים קְרָבוֹת יָחְפֹּצוּ, quæ ita reddo: *Increpa* (i. e. urge) *jumentum cannæ, cœtum taurorum, cum vitulis populorum, magnificè incedentes cum fragmentis argenti: quoniam Is populos bellum volentes penitùs dispersit.* Versiculus præcedens ita se habet: "*Propter Templum tuum, Hierosolyma versus, tibi Reges proferent munera.*" Hoc est, bello jam sedato, hostibus fugatis atque in servitutem redactis, Reges populique tibi munera è locis longinquis afferent: dein, versu proximè sequente, Vates rem quasi præsentem legentibus sistit, dicitque: Increpa jumenta munera, cannam sc. dulcem, tauros, vitulos, argentumque in massâ, ferentia, ut ordine servato, vires suas exserant, terramque progrediendo viriliter conculcent. In versu 32. Khashmanii ex Ægypto, Cushii item, vires, i. e. divitias suas quantociùs Deo mittunt: et v. 33. Universa

* Optima collectio in opere splendido clariss. Montfaucon, cui titulus "Hexaplorum Origenis, &c." in 2 Tomis. Fol. Parisiis 1713. reperitur.

† Nonnunquam tamen, ut putat Montfaucon, et liberius transtulit in ultimâ suâ Versione Aquila.

‡ Epit. ad Damasum.

§ In Psalmos xxi. v. 31. xlvi. 10.

‖ Comm. in Amos. c. iii. v. 11.

regna terrarum orbis, Deum cantionibus laudant, Dominum Hymnis extollunt. Liberiùs locum transtuli, eo fine ut sensus ejus planiùs elucescat.—Nullus igitur dubito, quin versus 31. pompam hancce describat, muneraque offerenda varia singulatim recenseat. Οἱ ὸ. itaque ad veritatem quam Symmachus propiùs accesserunt: ii enim, ita locum transtulerunt: Ἐπιτίμησον τοῖς θηρίοις τοῦ καλάμου· ἡ συναγωγὴ τῶν ταύρων ἐν ταῖς δαμάλεσι τῶν λαῶν, τοῦ μὴ ἀποκλεισθῆναι τοὺς δεδοκιμασμένους τῷ ἀργυρίῳ· διασκόρπισον ἔθνη τὰ τοὺς πολέμους θέλοντα. Symmachi quæ supersunt, ita se habent: συνόδῳ παμμεγεθῶν μετὰ συστροφῶν λαῶν, τοῖς διαλακτίζουσι τούτους αὐτοὺς εὐδοκήτους ὄντος ὡς δοκιμὴν ἀργύριου. "*Conventui maximorum cum cœtibus populorum, calcantibus hos, qui accepti sunt ut probatio argenti.*" In quibus, quid sibi voluerit Symmachus, dicere non ausim. Septuaginta autem, quamvis in nonnullis scopum vix attigerint, tædam tamen ejus optimè illustrandi mihi subministrâsse videntur: usus igitur eorum, uti anteà observatum, omnibus commendatissimus esse debet.

IV. Locum alium adduxit Theodorus Heracleotes, quem ad incudem vocare operæ pretium esse existimavi; videlicet Ps. lxviii. (Sept. lxvii.) v. 34. לָרֹכֵב בִּשְׁמֵי שְׁמֵי־קֶדֶם. Symmachus ita locum reddit: τῷ ἐποχουμένῳ ἐπὶ τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ ἐκ πρώτης. "*Qui vehitur super cœlum cœli ex primâ.*" Aquila eundem ac Symmachus sensum fundit: τῷ ἐπιβεβηκότι ἐν οὐρανῷ οὐρανοῦ ἀρχῆθεν. "*Inscendenti in cœlum cœli à principio.*" Septuaginta verò, τῷ ἐπιβεβηκότι ἐπὶ τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ κατὰ ἀνατολάς. "*Qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem.*" Ad hoc clariss. Montfaucon: "fateor," inquit, "mihi etiam, perindè atque Theodoro, accuratiorem videri τῶν ὸ. quam Symmachi, interpretationem." Ad me quod attinet, non possum non calculum meum adjicere Symmacho. Quî enim, *Oriens* ad textum assui possit, sanè non video: quomodo verò Altissimus à rerum usque incunabulis cœlis insedisset, resque terrenas suo nutu indè gubernâsset, neminem fortassè latebit: et hunc esse loci sensum interpretes plerique tum antiqui tum recentiores ostendunt. Symmachi itaque interpretationem hîc contra Theodorum &c. interpretatione τῶν ὸ. præstantiorem esse, affirmare minimè dubitem.

V. Symmachum, præterea, duas Editiones procurâsse atque in lucem emisisse affirmat Hieronymus in Comm. ad Nahum, cap. iii. v. 1. "In Hebræo," inquit, "habetur, PHEREC MALEA, quod interpretatus est Aquila ἐξαυχενισμοῦ πλήρης, id est, *excervicatione plena;* Symmachus autem, ἀποτομίας πλήρης, quod possumus dicere, *credulitate* vel *severitate plena.* In altera ejus editione reperi, μελοκοπίας πλήρης, id est, *sectionibus carnium, et frustis per membra concisis plena.*" "Duæ etiam, inquit Montfaucon, "eæque diversæ Symmachi lectiones adferuntur Hesaï. 47. 2. Osee 12. 11. Ps. 109. v. 4. Et in Appendice Exod. xxviii. 14. In libris item 1 et 2 Regum binæ nonnunquam Symmachi interpretationes adferuntur, &c." Addit, "Sed quia ejusmodi exempla non ita frequentia sunt, conjectandi locus est Symmachum non duas omninò diversas Editiones emisisse; sed quam priorem emiserat aliquot in locis emendasse, verbaque alia identidem substituisse pro aliis."* Addam, pace viri doctissimi; et idem fortassis, in secundâ suâ editione præstitit Aquila: undè et apparebit, ni fallor, quare in nonnullis, etiam in secundâ hâc editione, Archetypum Hebraïcum κατὰ ποδὰ et etymologicè non sequutus esset, ut et ipse testatur Montfaucon. Idem propemodum mihi videntur fecisse Scriptores de versionibus hisce Græcis, atque antehac observatum dedi de Syriacis: multo quippè faciliùs est, de versionibus istis loquendo novas procudere, quam eas re verâ in lucem emittere: aut eas fuisse usquam aut loci aut temporis in lucem emissas demonstrare.

## SECTIO VI.

### *De Theodotionis Versione.*

I. Theodotio Sinope in Ponte oriundus, primò se Marcionistis adjunxit, deindè Judæis; at, ut alii volunt, Ebionitis: post Aquilam et ante Symmachum Versionem suam adornâsse dicitur. In vertendo vestigiis styloque τῶν ὸ. quàm maximè inhæsit, ideoque fortassis Origenes lacunas, ut plurimum, in textu τῶν ὸ. è versione ejus supplevit. Danielis tamen Prophetia, quia in multis manca fuit, ab Ecclesiâ omninò rejecta est, versione Theodotionis in ejus locum subrogatâ; undè multis in suspicionem devenit, eam dudum interiisse.† Sæpenumerò tamen Theodotio à normâ τῶν ὸ. sive imperitiâ sive socordiâ ductus deflexit, verba Hebraïca in textum suum ponendo, Græcis literis descripta: e. g. Levit. vii. 18. Heb. פִּגּוּל יִהְיֶה is Φεγγὼλ ἔσται: vel, ut in alio codice habetur Φεγγοὺλ ἔσται: ubi Aquila et Symmachus פִּגּוּל ἀπόβλητον, *abjiciendum;* LXX. μίασμα, *inquinatio;* Symmachus alibi ἀργὸν, *inutile:* alii *fœtidum,* aut *corruptum,* aut *abominatio,* reddiderunt. Is. xiii. 6. מְקֻשָּׁחַת: Theodotio per μασφάα: Aquila autem per ἐξανάδοσις, *eruptio;* Symmachus per ἔκβρασμα, *ebullitio,* alibi per ἔκφυμα, *pustula;* Vulgata, *scabies,* reddidit. Plura ejusmodi dabit clariss. Montfaucon,‡ quæ describere supersedeo. Haud rarò, uti cuivis fragmenta ejus versionis inspicienti patebit, cruditates Aquilæ captare atque recoquere perrexit: e. g. Gen. i. 2. Ἡ δὲ γῆ ἦν κενὸν καὶ οὐθέν. *Terra autem erat vacuum et nihil,* pro Heb. וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ *Terra autem erat inanitas et vacuitas,* i. e. *inanis et vacua.* Ib. v. 5, καὶ ἐκάλεσεν ὁ θεὸς φωτὶ ἡμέραν, καὶ τὸ σκότος ἐκάλεσε νύκτα, ubi in membro primo constructio ipsa est Hebraïca, refragantibus Grammatice Græcâ textuque τῶν ὸ. Ita et v. 6. ἀναμέσον ὕδατος εἰς ὕδατα: ad Heb. בְּתוֹךְ מַיִם לָמָּיִם. Hujus generis multa hinc indè deprehendi possunt, adeò ut mihi oppidò dubitandi facta est occasio, annè versio hæc quid sit aliud quam assumentum versionum cæterarum, voce Hebraïcâ quandóque collustratum, necne. Videant alii. Interpretem igitur huncce non possum non pro plagiario, simulatore, sciolo, habere: nisi fortassis loca ei ascripta à Montfaucon ejus non sint, aut dummodo dies me meliora docuerint.

## SECTIO VII.

### *De reliquis Versionibus, Quintâ, Sextâ, Septimâ, Hexaplaribus.*

I. Quibus temporibus Auctoribusve confectæ fuerint hæ versiones, omninò ignoratur: hoc demùm pro explorato habetur, Quintam sc. anno septimo Caracallæ Hierichunte in doliis esse repertam; Sextam, tempore Alexandri Severi, Nicopoli ad Actium item in doliis inventam. Septimam quoque, in manus Origenis pervenisse, at undénam quomodo, aut denique, quo tempore, memoriæ non est proditum.

### *De quintâ Versione.*

II. "Christianus-ne, an Judæus, Samaritanusve fuerit qui Editionem Quintam adornavit," verba sunt clariss. Montfaucon, "nec ex Veterum testimonio, nec ex ejus interpretatione colligi posse videtur: quisquis verò fuerit, multo liberiore, quam Symmachus, interpretandi genere usus est; ita ut parephrasten quandoque sapiat, ut videre præsertim est in duodecim Prophetis minoribus, ubi frequentiora ejusdem fragmenta habentur. Sic Osee 6. 2. vocem יחבשנו quam cæteri, *curabit nos,* vel, *alligabit nos,* interpretantur, ipse vertit, ὑγιεῖς ἀποδείξει, *sanos exhibebit.* Et Osee 7. 14. hæc Hebraïca verba על דגן תירוש יתגודדו ימרו בי quorum sensus est, *super triticum et vinum congregati sunt, recesserunt à me,* ipse vertit, ὑπὸ τροφῆς καὶ πλησμονῆς

* Hexap. Orig. p. 54.

† Daniel sec. LXX. demum Anno 1772. è cod. Vatic. in lucem emissa est.

‡ Hexap. Orig. Tom. i. p. 57.

*σίτου καὶ οἴνου ἀπέστησάν μου.* i. e. *à voluptate et abundantiâ tritici et vini defecerunt à me.* Sic ille ferè semper liberam nec litteræ adstrictam interpretationem effert, ita tamen ut à vera Scripturæ mente non recedat, quæ causa fuit ut Vulgatus interpres in his Prophetarum Libris non infrequenter ipsum sequi videatur."

III. Unam et alteram præterea interpretationem ejus haud pigebit adnotare. In Ps. i. 1. Quinta, Sexta, et Theodotio vocem Heb. אִישׁ per *νεώτερος* reddunt: distinctione iis fortassè privâ. Ib. v. 2. יֶהְגֶּה Aquila, Symmachus, Quinta, et Sexta, per *Φθέγξεται* reddunt. Hujusmodi multa, præsertim in obscurioribus quales hæ sunt vocibus, bonæ utique frugis, hic illic perfacilè colligi Lexicisque nostris addi possunt.

*De Versione Sextâ.*

IV. "Sextam verò Editionem," inquit Montfaucon, "à Christiano viro concinnatam fuisse vel ex hoc uno ejus fragmento liquidum est, Habacuc 3. v. 13. ubi illud Hebraïcum: יצאת לישע עם משיחך sic interpretatur ipse, *ἐξῆλθης τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦ τοῦ χριστού σου*: *Egressus es ad salvandum populum tuum per Jesum Christum tuum.* Cujus versiculi Græca ex Manuscriptis eruuntur; latina ex Hieronymo, qui addit Sextam Editionem prodere manifestissimè Sacramentum. Hic autem interpres, perinde atque præcedens, paraphrasi gaudebat, ut in loco jam allato deprehenditur; licet nihil ibi efferat nisi mentem Hebraïcæ Scripturæ. Verum in altero ejus loco longe majorem exspatiandi licentiam animadvertas. Psalm 36. v. 35. Hebræa sic habent: ראיתי רשע עריץ מתערה כאזרח רענן i.e. *vidi impium terrificum diffundentem se sicut laurus viridis*, sive ut Hieronymus habet, *sicut indigenam viventem*, ubi Vulgata; *vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani*; Sexta verò sic: *εἶδον ἀσεβῆ καὶ ἀναιδῆ ἀντιποιούμενον ἐν σκληρότητι, καὶ λέγοντα, εἰμὶ ὡς αὐτοχθὼν περιπατῶν ἐν δικαιοσύνῃ*, i. e. *Vidi impium et impudentem sibi vindicantem in duritia, et dicentem: Sum sicut indigena ambulans in justitia*: quæ sane paraphrasin non modo sapiunt, sed etiam superare videntur."

*De Septimâ.*

V. Septimæ Versionis Auctorem Judæum fuisse putat celeber. Montfaucon, ex cantico Habaccuci Prophetæ in codice Barberino reperto, quodque is partem septimæ versionis esse credit, quia sc. v. 13. Heb. משיחך *unctus tuus*, per *τοῦς ἐκλεκτούς σου*, reddiderit, non per *χριστόν σου*, quod virum Christianum utique facturum fuisse arbitratur. Canticum hocce in Tom. vi. Polyglottorum Londinensium reperitur (coll. Sept. p. 135): perquirere igitur possumus, quamnam interpretandi rationem sibimet proposuerit auctor ejus. Titulus Hebraïcus תְּפִלָּה לְחַבַּקּוּק הַנָּבִיא עַל שִׁגְיֹנוֹת, *Oratio Habaccuc Prophetæ super Shigyonoth*, Græcè redditur per, *προσευχὴ Ἀμβακοὺμ τοῦ προφήτου μετ' ᾠδῆς*, cum Septuaginta vocem obscuram שִׁגְיֹנוֹת *ᾠδὴ* reddens:—versum orationis primum: יְהוָה שָׁמַעְתִּי שִׁמְעֲךָ יָרֵאתִי יְהוָה פָּעָלְךָ בְּקֶרֶב שָׁנִים תְּחַיֵּהוּ בְּקֶרֶב שָׁנִים תּוֹדִיעַ : בְּרֹגֶז רַחֵם תִּזְכֹּר. *Κύριε εἰσήκουσα τὴν ἀκοήν σου, καὶ εὐλαβήθην· κύριε κατενόησα τὰ ἔργα σου, ἐξέστην· ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ· ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν ἀναδειχθήσῃ.* Multa hic, ut quisque videbit, si non omnia, à Septuaginta petita sunt: quæ, missis fortassis signis Hexaplaribus, plures lectiones in unam conflatas sistunt.

Comma primum ita apud τοὺς ὁ. conspicitur. } *Κύριε εἰσακήκοα τὴν ἀκοήν σου, καὶ ἐφοβήθην*

Quod hoc modo dat noster *Κύριε εἰσήκουσα τὴν ἀκοήν σου, καὶ εὐλαβήθην.*

Quæ cum Hebraïco convenient, nisi quod *καὶ* addiderit uterque. In membro secundo ita se habent:

Septim. *Κύριε κατενόησα τὰ ἔργα σου, ἐξέστην·*
Septuag. . . . *κατενόησα τὰ ἔργα σου, καὶ ἐξέστην·*

Uterque ellipsin sat magnam supplevit, acsi Hebraïca ita legerit: יְהוָה שָׁמַעְתִּי שִׁמְעֲךָ יָרֵאתִי יְהוָה פָּעָלְךָ רָאִיתִי (בִּינֹתִי vel) וְיָרֵאתִי. Quod in hujusmodi scriptis tolerabile fortassis esset: utrumque tamen lectionem *τῶν ὁ.* sistere nemo sanus dubitare potest. Idem ferè censendum de membro sequenti: *ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ*, quæ et ipsissima sunt verba *τῶν ὁ.* verba Hebraïca hoc modo accipientium: בְּקֶרֶב שְׁנֵי חַיִּים תִּוָּדֵעַ *in medio duorum animantium* (Cherubim fortassè), pro בְּקֶרֶב שָׁנִים תְּחַיֵּהוּ...תּוֹדִיעַ, ut textus hodiernus habet. Clausula quæ sequitur hæc est; sc. *ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ*: quæ verba sunt *τῶν ὁ.* hisce tamen Hebraïcis magis congruentia בְּהַקְרִיב הַשָּׁנִים תִּוָּדֵעַ; quæ sequuntur aliam omninò interpretationem eamque paulò laxiorem eorundem verborum dabunt: sc. *ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν ἀναδειχθήσῃ*. Primi igitur versiculi analysis, nos extra *τῶν ὁ.* limites vix ducunt: cætera sui generis speciem magis dabunt: unius modo versûs collationem perspice:

| *Septima.* | *Septuaginta.* | *Heb.* | |
|---|---|---|---|
| *ὁ θεὸς ἀπὸ λιβὸς ἥξει,* | *ὁ θεὸς ἐκ θαιμὰν ἥξει,* | אֱלוֹהַּ מִתֵּימָן יָבוֹא | *Deus è Theman venit,* |
| *καὶ ὁ ἅγιος ἐξ ὄρους φαράν.* | *καὶ ὁ ἅγιος ἐξ ὄρους φαρὰν* | וְקָדוֹשׁ מֵהַר־פָּארָן | *et Sanctus à monte Paran,* |
| *μεταβολὴ διαψάλματ·* | *κατασκίου δασέος. διάψαλμα.* | סֶלָה | *Selah.* |
| *ἐκάλυψεν ὁ οὐρανὸς τὴν* | *ἐκάλυψεν οὐρανοὺς ἡ ἀρετὴ* | כִּסָּה שָׁמַיִם הוֹדוֹ | *Operuit cælum decus ejus,* |
| *εὐπρέπειαν τῆς δόξης αὐτοῦ,* | *αὐτοῦ, καὶ αἰνέσεως αὐτοῦ* | וּתְהִלָּתוֹ מָלְאָה הָאָרֶץ : | *et laude ejus implebatur Terra.* |
| *καὶ τῆς αἰνέσεως αὐτοῦ ἐπλήσθη* | *πλήρης ἡ γῆ.* | | |
| *ἡ οἰκουμένη.* | | | |

VI. Cætera magis discrepant, ita ut Interpretationem hanc à Septuaginta virali quondam fuisse diversam vix dubitaretur, eam tamen esse hodie, maximam saltem fragmentorum ejus partem, oppidò depravatam. Clariss. Montfaucon in id inductus est ut crederet, septimam hancce versionem admodum *παραφραστικῶς* fuisse cusam. Quæ tamen in hâc ode servantur, et ad ipsam Septimam versionem referre liceat, quid aliud, me judice, sapiunt: Interpretem sc. eam sibi libertatem vindicantem, quæ mentem Scriptoris Sacri dilucidè exprimere possit: spretâ jure optimo etymologicâ illâ Aquilæ vertendi lege.

## SECTIO VIII.

*De Versione Græcâ Venetiis haud ita pridem repertâ.*

I. Hæc Versio quæ Pentateuchum, Libros Ruth, Threnorum, Daniel, et Solomonis omnes complectitur, Bibliothecâ Divi Marci Venetiis diu latuit, donec tandem Viri docti, Clariss. sc. Villoison et Ammon, Catalogi ejus notitiis moniti, magnam ejus partem in lucem emiserunt. De indole ejus egerunt Viri doctissimi suprà laudati: * necnon J. Georg. Dahler: † quorum scripta adeat Lector.

II. Quo tempore aut demùm Auctore cusa fuerit hæc versio, adhùc ambigunt Viri Docti; in medio ævo, ut aiunt, Auctorem ejus vixisse nonnulli putant, vitamque monasticam degisse. Codicem Masorethicum non punctatum, Interpretem sequutum esse ex versione autumant; et, eo quod dictiones Poeticas Græcas is nonnunquam usurpet, interpretationesque Judæis haud assuetas fundat, Viri cujusdam docti in suum usum confectum, opus esse existimant. Verbum is de verbo anxius reddit; propria ceu appellativa sumpta quandoque transfert; et, si demùm puncta vocalia accentusque coràm conspexisset, ea in multis aut non intellexit aut omninò neglexit. Versionis ejus ac-

* J. Baptista Caspare d'Ansse de Villoison, Argentorati. 1784. Christ. F. Ammon. Erl. 1790 et 1791.

† Argentorat. 1786. Quæ, cum ad manus nostras nondum pervenerint, pauciores esse necessariò cogimur.

cipe quæ sequuntur specimina. Eccles. i. 1. קהלת ille per ἐκκλησιαστηρια. Ex. xii. 17. בעצם היום ἐν χρω της ἡμερας : לאמר, του φαναι. Exod. viii. 8. יהוה על דבר צפרדעים : επι τῳ χρηματι των βατραχων : οντωστης, ουσιωτης. Gen. xxi. 22. סיכל σομα παντος : xxii. 19. באר שבע φρεατι του ὁρκου. xxxv. 19. בית לחם ὁυμος του αρτου. Formas Atticas hujusmodi exhibet sc. ξυνθηκη, ξυνπαντα, ξυναγμας, πεπομφα, τουτῶι. Puncta vocalia in his neglexisse videtur: Gen. x. 26. יָקְטָן Ιακταν. Gen. xiv. 15. חוֹבָה Χαβας. ib. xxvi. 34. בָּשְׂמַת βασαμαθην. Prov. iii. 33. et xxx. 11. יְבָרֵךְ ευλογηθησεται, passivè, quasi יִבָּרֵךְ in suo textu legisset. Ib. xii. 8. אֶל מוֹת προς θανατον,—אֶל מָוֶת legens. Ib. xvi. 19. מְחֻלָּק ὑπερ μερους, מֻחְלָק. Ib. xxxi. 13. כְּפָהּ κατὰ σομα ταυτης, כְּזֹאת.

III. Versionem vetustissimos Codices Manuscriptos ætate superare credit Baverus, (cui et hæc debentur) et, quamvis nullas lectiones meliores sistat, ut ipse prædicat, eam tamen vetustiori cuivis codici si non præferendam certè æquiparandam esse, ultrò fatetur. Quæ mihi nihil omninò sonare videntur. Usui, ut nobis quidem videtur, critico nunquam inserviet Versio hæcce. Monachorum industriæ, sive potiùs literarum inter eos habiti lusûs, specimen sat illustre, lubens fateor, exhibebit. Gloriæ Monachatûs Ecclesiæque Græcæ, multò sanè magis consuluisset Auctor, si veteres interpretationes Græcas procurâsset, atque conservare sategisset anxius.—Quid plura? Sicubi namque Ecclesia quævis ejusve Ministrorum ordines, semet rebus mundanis dederint, hominumque se gloriosiores inserviendos placitis, quam Dei Voluntati sanctè, piè, modestè, exsequendos, proposuerint; Is, ceu omnium gubernator ac Rex, eorum sapientiam cum insipientiâ commutat, gloriationemque miseriâ omnibus exsibilandâ semper rependit.

---

# PROLEGOMENON V.

## SECTIO I.

*De Vulgatis Latinorum Versionibus, antiquiore sc. et Hieronymianâ.*

I. Duas fuisse olim Sanctarum Scripturarum (quoad Vetus Testamentum saltem) apud Latinos Versiones, nôrunt omnes utcunque versati in Historiâ Ecclesiasticâ. Quo tempore, aut quo tandem Auctore, antiquior illa lucem viderit, ultra vires humanas est definire : altera à piis Sancti Hieronymi laboribus ortum duxit. Sed de his, paucis quærendum, et de priore priùs.

II. Qui de Versione primâ * clariùs sententiam suam prolati sunt Patres Ecclesiastici, sunt Augustinus et Hieronymus. Ille, de doctrinâ Christianâ Lib. ii. cap. ii. "*Latinorum Interpretum infinitam varietatem,*" memorans, hæc denique subdit, "*Qui Scripturas ex Hebræâ linguâ in Græcam verterunt, numerari possunt, Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.*" Et alibi : "*In ipsis autem interpretationibus Itala præferatur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.*"† Quid sibi Augustinus his verbis voluerit, ambigerunt Viri docti, et etiamnum sub Judice lis est. Nonnulli, per voces *Interpretes, interpretationes,* &c. eum de novis omninò versionibus loqui putârunt, alii de Librariorum emendationibus, sive potiùs corruptionibus, locutum autumârunt : quod et nobis maximè arridet. Nam tot Versiones fuisse susceptas atque ad finem perductas, primis fidei temporibus, vix credibile est, Christianis tot persecutionibus tunc temporis afflictis : neque illud ceu factum rescire potuit Augustinus, nisi aliquis Scriptor historicus rem verbis apertis narrâsset; quod nemo dixerit. Augustinus suam tantummodo hâc de re opinionem profert; et cùm is, verbum *interpretor,* non modo de Versionibus re verâ factis, verùm etiam de *emendationibus* iis posteà illatis usurpare assueverit, ‡ vix dubitandum, opinor, eum hoc sensu fuisse hîc locutum.

III. Hieronymus hâc de re sententiam suam his verbis profert : "*Si Latinis exemplaribus,*" inquit, "*fides est adhibenda, respondeant, Quibus? tot enim sunt exemplaria pænè quot codices. Sin autem veritas est quærenda de pluribus; cur non ad Græcam originem revertentes, ea quæ vel à vitiosis interpretibus malè edita, vel à præsumtoribus imperitis emendata perversius, vel à librariis dormitantibus aut addita sunt, aut mutata, corrigimus.*" Et in Præf. ad Jos. "*Maximè cum apud Latinos tot sint exemplaria quot Codices, et unusquisque pro arbitrio suo, vel addiderit vel subtraxerit quod ei visum est.*"—Martianæus, in prolegomenis suis ad Evang. sec. Matt. ita de Hieronymi testimonio disputat : "Tanta," inquit, "codicum diversitas ab eodem nasci Interprete neutiquam potuit; quare necessè est ut plures fuerint Auctores hujusmodi translationum.... Multos quoque conceptis verbis expressit Hieronymus, dicens : *Quæ a vitiosis Interpretibus malè edita* § *sunt.*" At pace ejus dixerim, Hieronymus non de translatione quâvis sermonem instituit, verum de exemplaribus. Ea igitur, *malè edita ab Interpretibus,* vix, *malè primitùs translata* concipi possunt, sed de exemplaribus vitiosis quæ tunc temporis circumferebantur. Aliud profert argumentum : *Multiplicem* sc. Evangeliorum in sectiones divisionem, quam vix, ac ne vix, ab uno Interprete profectam esse contendit. At quis dixit sectiones eas ab uno Interprete fuisse factas? Interpretes sive Emendatores complures fuerunt, qui et divisiones hasce fecisse potuerunt. Addit, "præterea non idem est stylus, sed dissimiles prorsùs phrases leguntur....Corbejensis enim legit, exempli gr. *Numquid* minima es? San-Germanensis autem, *Non minima es.*"—Quæ mihi tamen stylum omninò eundem fundunt, varietatemque lectionis perlevem. Atqui, si phrases nonnullæ dissimiles occurrant, nonnè hæ Interpretibus vitiosis Librariisve dormitantibus adscribi possunt? ‖ Dormitâsse mihi videtur Vir doctissimus cùm hæc scripsit, alioquin, quomodo is ita ratiocinari potuerit, divinare nequeo. Cum igitur Augustinus de *Italâ* loquitur,

---

* Quum diu antè Origenis tempora hæc versio facta sit ex LXX. necessè est eam ex Editione quam τὴν κοινὴν vocabant, fuisse redditam. Indè fortassè Hieronymus eam *Communem* et *Vulgatam* appellabat : Augustinus *Italam* quia in Italia obtinuit : Gregorius Papa, *Vetus,* respectu ad recentiorem Hieronymi habito.

† Mirum quantum etiamnum Vetus hæc Versio cum Codicibus Græcis vetustissimis conspiret adnotârunt Bentleius noster, Blanchinus, cæterique multi Doctissimi : vide et Bengel. Introd. in crisin N. T. p. 399, &c.

‡ Epist. ad Hieron. "*Ideo autem desidero* INTERPRETATIONEM *tuam* de LXX. ut et tanta Latinorum Interpretum, qui qualescunque hoc ausi sunt, quantum possumus, imperitia careamus." Sed versionem *emendavit* Hieronymus, non denuò vertit de LXX. et idem fecisse credo cæteros.

§ Al. reddita.

‖ Comparationis gratiâ, et ut Lectores judicium hâc de re pro semetipsis faciant, versiculos sequentes ex Opere Blanchini (sc. Evangeliario Quadruplici) fortuitò sumptos damus. Matt. cap. ii. v. 7, &c.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Codex Vercellensis.* | Tunc Herodes occulte vocavit | | Magos, et diligenter |
| *Veronensis.* | Tunc Herodes occulte vocavit | ad se | Magos, et diligenter |
| *Corbejensis.* | Tunc Herodes clam vocatis | | Magis diligenter |
| *Brixianus.* | Tunc Herodes occulte vocans | | Magos, diligenter |
| *Vercellensis.* | exquisivit ab eis tempus | | paruit eis stella : et |
| *Veronensis.* | exquisivit ab eis tempus | quando | apparuit eis stella : et |
| *Corbejensis.* | didicit ab eis tempus | stellæ quæ | apparuit eis : et |
| *Brixianus.* | exquisivit ab eis tempus | quando | apparuit eis stella : et |
| *Vercellensis.* | misit illos in Bethlem | dicens ; Ite, | interrogate diligenter |
| *Veronensis.* | misit illos in Bethleem, | dicens ; Ite, et | interrogate diligenter |
| *Corbejensis.* | mittens illos in Bethleem, | dixit : Ite, et | interrogate diligenter |
| *Brixianus.* | misit eos in Bethleem | dicens. euntes | requirite diligenter |

putarem eum de editione tum temporis apud Italos in usu verba fecisse, illamque cæteris quæ Afrorum suorum manibus terebantur, eo quod immaculatior esset, prætulisse.

IV. Versionem hanc perantiquam esse omnes meritò credunt, primóque Ecclesiæ sæculo fuisse cusam plerique. Non possum tamen Doctiss. Sabatier (Præf. general. Bib. Sacr. §. 51.) adstipulari, qui origines ejus ab ipso Apostolo ducit. "Plena," inquit, "forsitàn est illa longè antiquissima interpretatio verbis et sententiis, quas vetus interpres, docente Paulo, Romæ audierat, aut audita ab aliis acceperat, acceptaque suæ inseruit interpretationi. Quid enim?" subdit, "an credibile est Paulum, qui gentium ore loquebatur, cùm Romæ versaretur... quid, inquam? an credibile est Paulum toto biennio de regno Dei et Jesu Christo disputantem in Urbe, non hâc Romanorum linguâ... locutum, cùm sacrarum Scripturarum verba proferret? sin autem Romanorum linguâ, Romanis verba faciens, sacras Scripturas est interpretatus Doctor gentium; an Romani, quorum fidem eximiam toto orbe commendatam fuisse scribit Paulus, divina hæc verba excidere et interire passi sunt? Hæc illa ipsa est interpretatio, &c."—Vides, Candide Lector, quam facilè Paulus sacrarum Scripturarum fit Translator: simul atque, quo demùm modo *traditio* sanè sat splendida, procudi possit! Missis autem hujusmodi nugis, credere haud recusarem, versionem hancce à primus cœtibus Romanis originem duxisse: et, uti mihi videtur, Judæi ibi degentes lineas primas dederunt. Ii enim, quàm Gentes ad fidem conversi, huic operi suscipiendo multò aptiores erant; quippè qui sacris literis assueti, quas et cum materno lacte (detur venia verbo) imbiberunt. Ad verbum, præterea, reddere Judæorum mos est, non Gentilium nedum Romanorum, qui semper semet laxissimos hâc in re præbuerunt.* Hinc fortassè, ut Augustinus adnotavit, versio eorum, verborum τῶν ὁ. admodum fuit tenax in Vetere Fœdere, cui et illi deditissimi fuerunt, et quod sententias perspicuè reddiderunt.

V. Millii sententia est, versionem hanc non fuisse factam, donec tandem deliberatum fuerat ab Ecclesiâ, de translationibus publicè faciendis; atque ideò, seriùs aliquantulò ortum habuisse.† Similem sententiam profert Doctiss Marshius ‡ de Syrâ quam Peschito vocant, quam haud factam is putat antequam de Canone disceptatum atque determinatum fuisset. Dixerim, mihi verisimile videtur, Fideles vix potuisse suos erudire nisi ad manus partem quandam duntaxat Scripturæ sacræ habuissent, sive ea Evangelia ipsa, sive denique Evangeliorum Lectiones, stitissent. At ii fortassis de Millii deliberatione, aut etiam de Marshii Canone conficiendo, nunquam cogitârunt, neque fando acceperunt: hujusmodi quæstiones temporibus istis primitivis vix congruæ erant; controversiarum verò diebus posteà orturis longè aptiores.

VI. Primus hanc versionem è tenebris eruere tentavit Flaminius Nobilius Lucensis: cujus Editionem applausu omnium acceptam denuò evulgârunt Morinus, in Editione ejus τῶν ὁ. Parisiis. 1628. et Waltonus noster in Bibliis Polyglottis Londinensibus: ejusdem Nobilii notis in Tom. vi. quoque recusis. Fuerunt tamen qui dubitabant, an textum ubique veteris Italæ sisteret necnè hæcce Nobilii editio; et tandem res in propatulo posita est, textum sc. in multis, ipsius Nobilii τῶν ὁ. versionem, et præterea nihil, dare. "Haud, inquam," verba sunt Doctiss. Sabatier, (præf. gen. §. 168.) "existimandum est Vulgatam veterem, qualis olim exstitit, à Nobilio fuisse restitutam: id vel paululùm attendenti manifestum fit. In primis enim Vir doctus ne quidem unum è codicibus manu exaratis, quibus illa vetus interpretatio continetur, adhibuit in consilium. Tantùm id animo videtur intendisse, ut versionem Græcam LXX. qualem exhibet Codex Vaticanus, verbum verbo reddere. Siquando à Patribus Latinis usurpata Scripturæ testimonia cum Græco conveniebant, ea Nobilius in concinnandâ suâ interpretatione Latinâ adhibuit; sin minùs, quæ aptiora sunt visa, suo arbitratu supplevit." Hujus igitur editionis auctoritate amissâ, alias procurare operam dabant Viri docti: et tandem in lucem prodière Editiones persplendidæ Martianæi, § Blanchini, ‖ et Sabatier, ¶ è vetustissimis Codicibus Manuscriptis erutæ, et omnibus numeris, quoad ejus fieri potuit, absolutæ.

VII. Annè tamen hi veterem illam versionem Italam ubique recuperârint, et adhùc dubitandum. Augustini enim temporibus exemplaria admodum corrupta fuerunt, adeò fortassè ut vix unum è sexcentis Italæ nomen mereretur.** Ejusmodi exemplaria usurpâsse Sabatier ipse ingenuè fatetur; neque in meliora incidisse videtur Blanchinus, quantumvis is de ætate fabulosâ, ne dicam miraculosâ, Codicis ejus Vercellensis gloriatus est. Ita Sabatier hâc de re locutus est. (Præf. gen. p. xxxiii.) "Utinam id nobis tantùm negotii daretur, ut ex his omnibus collectis, atque collatis exemplaribus, antiquæ illi interpretationi, quam revocare in lucem aggredimur, primigeniam puritatem, nativumque decorem redderemus. Sed heu! ex innumeris codicibus, qui omnium olim manibus versabantur, *vix aliquot, et illi quidem non hujus primævæ antiquitatis, sed ex aliis descripti antiquioribus*, in maximarum celeberrimarumque bibliothecarum forulis delitescentes supersunt," &c.

VIII. Perpaucos Codices invenire potuit ille versionem hanc integram utut perturbatam complectentes: ad hæc, scripta Patrum in plurimis infida sunt; neque vel sibi semper constans

---

*Vercellensis.* de puero: et cum inveneritis, nuntiate mihi, ut et ego
*Veronensis.* de puero: et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego
*Corbejensis.* de puero: et quum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego
*Brixianus.* de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego

*Vercellensis.* veniam, et adorem eum.
*Veronensis.* veniam, et adorem eum.
*Corbejensis.* veniens adorem eum.
*Brixianus.* veniens adorem eum.

"Varietas hæc Versionum Latinarum," inquit Hodius (p. 343.) "in operibus veterum Patrum facile conspicitur. Non *unam* enim *et eandem* sed *varias* atque planè *diversas* apud *Tertullianum, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum*, &c. usurpari deprehenditur." Facilius hoc dicere quàm comprobare ex ipsis versionibus: neque inficias ibo, Patres in hoc non variare: eos tamen *Versiones planè diversas* excitâsse, nemo est qui demonstrare potest, non ipse Vir adamantius Hodius; quæ namque dat, non ad versiones varias Latinas spectant, verum ad citationes, aut ex Origenis Hexaplis, aut Novo Testamento Græco, laudatas. Vide etiam Proleg. Wetstenii in Nov. Test. p. 81.

* Multus est Hieronymus hâc de re; non, uti mihi videtur, ut ipse semet laxum interpretando ostenderet, sed ut à solœcismis barbarismisque utendis excusaret. "Hoc sequimur," inquit (Ep. 135.), "ut ubi nulla est de sensu mutatio, Latini sermonis elegantiam conservemus." ..." Et hanc esse regulam boni interpretis, ut *ἰδιώματα* linguæ alterius, suæ linguæ exprimat proprietate." Quod et Tullium in Protagora Platonis, et in *Οἰκονομικῷ* Xenophontis ..." Horatius vir acutus et doctus hoc idem in arte Poëtica e udito interpreti præcepit: Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres, &c."

† Pref. in Nov. Test. p. 377.

‡ Introd. to the New Test. Vol. ii. pt. ii. Notes to chap. vii. sect. vi. Certum est Hieronymum in transferendis libris sacris, nihil de ordine Librorum canonico curâsse. Eandem profert sententiam Doctiss. F. Nolan in Lib. de Gr. Vulg. p. 25. iisdem innixus ratiunculis, quas flocci vix pendere nemo non videbit. Michaelis, præterea, et post eum Marshius, autumat, Versionem Latinam antiquitùs à Syro quodam fuisse factam, et cum cæteris nescio quibus versionibus Latinis fuisse permistam, et indè profluxisse Syriasmos, ut aiunt, in Latinâ hodie conspiciendos.—Hoc est; sicubi quid nobis adhùc incompertum semet palàm faciat, oppidò consentaneum est, ut historiam ejus statim fingamus: et cùm ita ad historiam ejus ventum fuerit, nobismet gratulemur, quod certiores de eo demùm facti simus! Introd. ad N. Test. Vol. ii. p. i. c. vii. §. 5. et notæ.—Vide Bengel. Introd. in Crisin N. T. p. 393. Observ. vii.

§ Evang. Matt. et Epist. Jacobi. Parisiis Ann. 1695.

‖ Evangeliarum Quadruplex Romæ 1748.

¶ Bibliorum Sacrorum Latinæ Versiones antiquæ seu Vetus Italica Opera... D. Petri Sabatier &c. Remis 1743.

** Quædam ipse emendâsse fatetur Augustinus: "*Nos autem non interpretati sumus, sed codicum Latinorum nonnullas mendositates ex Græcis exemplaribus emendavimus. Unde fortassis fecerimus aliquid commodius quam erat, non tale quale esse debebat.*" Epist. 261.

Augustinus, loca enim memoriter citat versionemque Hieronymi nonnunquam usurpat: adeò ut viribus plusquam humanis is pollere necessè sit, qui definire pergat, quamnam lectionem Interpretibus, quamnam ingenio Patrum aut versioni emendatæ Hieronymi, aut demùm veteri Italæ, adscribi debeat. Et, quod rem extra omnis dubitationis periculum ponat, tum Sabatier tum Blanchinus, in id omnes ferè suos nervos intendunt ut ostendant, ipsorum sc. codices veteris versionis pura puta esse exemplaria, eò quod *nævis multifariis* scatere reperiuntur! Quicquid igitur alii his de codicibus putarent, eorumve usui critico in emendando textum aut Veteris aut Novi Testamenti Græci adscriberent, Is sum equidem qui valdè abjectus de iis sentirem; valdéque parcus eorum copiâ fruerer, nisi et auctoritate ipsorum longè meliore stipati commendarentur.*

IX. Postquam Scripturarum sanctarum corruptiones, uti suprà memoratum, omnibus innotuerant, Ecclesiamque, uti videtur, haud parum vexârant, Hieronymus Presbyter Stridonensis, rogatu Damasi tunc temporis Pontificis maximi Romani, Evangelia ad Græcam veritatem, ut ipse in Epistolâ ad eundem Damasum fatetur, correxit: et, haud ita multò post, omnes Novi Testamenti libros.† Hoc opere peracto, ad Psalterium item emendandum se accinxit Hieronymus,‡ quod et perfecit. Psalterium præterea secundâ vice correxit, adhibito exemplari Hexaplari Origenis, additis asteriscis, obelis, cæterisque notulis Origenianis.§ Prima harum Editio apud Romanos obtinuit, atque ideò Romana appellatur: altera apud Gallos, quæ idcircò Gallicana audit. Posthac Librum Job ex Græco emendavit, Editionemque suam asteriscis, obelis, notisque cæteris adornavit. Dein Libros Salomonis, Paralipomenωn, item correxit, et ultimos saltem notis Origenianis illustravit.‖ In locis nonnullis loquitur Pater venerandus acsi omnes Veteris Testamenti libros emendâsset: sed an hoc fecerit meritò ambigitur.

## SECTIO II.

### *De Versione Vulgatâ Latinâ Hieronymianâ.*

I. Hieronymus, Editionibus suis ad LXX. fidem emendatis, id animo concepit, ut *Adamantii* instar, ipse aliquid in usum Ecclesiæ emoliretur, quo non modo Judæorum ¶ cum Christianis arguentium tela penitùs frangerentur, aut demùm evitata in seipsos retorquerentur, verùm et Gregi Christi pabulo puriore subveniret. Hujus voti ut quantocius fieret compos Pater, in Terram Sanctam migravit,** atque in Bethlehem consedit; ubi, conducto fratre, haud ita pridem è Judæorum castris elapso Christianoque facto, opus suum nunquam satis laudandum incœpit, cœptumque feliciter ad umbilicum perduxit. Ita de incœpto suo in Epistolâ ad Rusticum loquitur: "*Dum essem Juvenis*," inquit, "*et solitudinis me deserta vallarent; incentiva vitiorum ardoremque naturæ ferre non poteram. Quem quum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat: ad quam edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi; ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, et levitatem Plinii, alphabetum discerem, et stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiesque cessaverim, et contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum qui mecum duxerunt vitam.*" Et iterum in præfatione ad Danielem.... "*Impegi novissimè in Danielem; et tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita omnem laborem veterem voluerim contemnere. Verum adhortante me quodam Hebræo, et illud mihi crebrius in sua lingua ingerente, labor omnia vincit improbus.*" Priusquam operam in interpretando libro Job impenderat, Præceptorem Judæum quendam Lyddæum ad id opus conduxit. In præfatione enim hæc habet: "*Memini me*," inquit, "*ob intelligentiam hujus voluminis Lyddæum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis: cujus doctrina an aliquid profecerim nescio, hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram.*" Magistrum præterea Judæum Barhaninam nomine, necnon alium Tiberiensem, sibi conduxit Pater: quod et Ecclesiæ Christianæ emolumento insigni fuit. Is enim Judæis istis commentarii loco ferè semper usus est, haud spretâ eorum doctrinâ grammaticâ: quod mihi comprobare videntur, crebræ ejus

---

* De indole hujus versionis criticâ videantur omninò Proleg. clariss. Wetstenii in Nov. Test. p. 82, &c.

† Videantur loca citata in Hodio. p. 350. Valdè errare mihi videtur Doctiss. F. Nolan in suâ de Græcâ Vulgatâ diatribe, cui titulus, "An inquiry into the integrity of the Greek Vulgate. London. 1815." p. 14. ait enim: "Considering the affinity observed to exist between the old Italick Version and the original Greek, there is ... something suspicious in the conformity, which betrays an alliance of a recent date. For this affinity was not discoverable in the Italick version of St. Jerome's days, &c." Verum est equidem, discrepationes maximas inter archetypum Græcum Versionemque Italicam istis temporibus exstitisse: at hæ non impedient quin anteà satis fuissent conformes. Querelæ enim Damasi, Augustini, et Hieronymi, non de ipsâ versione, respectu ad ejus statum pristinum habito, factæ sunt, verùm de corruptionibus, pruritu interpretum indoctorum ei illatis. Augustinus præterea testatur, Versionem ipsam fuisse verborum tenaciorem, cum perspicuitate sententiæ. Hieronymus igitur non novam Novi Testamenti procudit Versionem; sed, adhibitis exemplaribus Latinis, eam ad textum Archetypum Græcum emendavit. Neque felicius Vir idem Doctus de Augustini mente, in versionem hancce ita ab Hieronymo emendatam, sententiam profert: "Who to the last," inquit, "declined using the version *retouched* by St. Jerome." (ib.) Cùm, ad calcem paginæ, ipse Augustini profert testimonium his verbis: "Proindè non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpretatus es, &c." De Interpretatione ejus Veteris Testamenti ex Hebraïco factâ, cunctatus est Augustinus equidem aliquamdiù, an ea in Ecclesiam admitti debeat, necnè: ipse tamen et hanc versionem nonnunquam verbis conceptis laudavit. Ad pag. 57, tamen, Vir Doctus alter et idem, veterem Italam eo usque collaudat, ut non modo eam exactissimè fuisse factam asserat, verum et solum Scripturarum Sanctarum exemplar etiamnum fidum esse! Et ut omnium sibi fidem conciliaret, eò progreditur ut dicat, "The Latins were not sufficiently instructed in the language of the original, to undertake the correction of the translation." (ib.) Responderim, Si igitur ii corrigere non potuerint, corrumpere sanè potuerunt: et hoc omni procul dubio fecerunt: tametsi ultrò darem quosdam codices hujusmodi corruptionem non subiisse, ut et Hilarius, loco citato testatur.—At quid responderi possit Viro eruditissimo, Eusebium Vercellensem in translatorem novum ante-Hieronymianum transferentem, nescio; cùm nec hâc de re verbulum quidem dixerint Veteres: Ruggerii commento apud Blanchinum nulli omninò testimonio innixo, fidem faciat inquam, qui aures ad fabulas accommodare paratus est; non ego. (vide Nolan, p. 59.) Neque quicquam dixerunt de Hilarii, Luciferi, vel etiam Eusebii hujus, aut doctrinâ ad Scripturas emendandas aptâ, aut emendatione Scripturarum susceptâ. "*This must be inferred*, &c." subdit Vir Doctissimus. Dixerim, qui potest inferat. Neque, tamen negarem, Eusebium Vercellensem ullas translationes Latinas fecisse; apertè enim testatur Hieronymus, in catalogo Scrip. Eccles. eum commentarios Eusebii Pamphili è Græco Latinos fecisse: necnon in Epist. ad Augustinum LXXXIV. eum, tum Origenem, tum Eusebium Cæsariensem Latinè reddidisse, nullibi verò Biblia Sacra. Sed et aliud indè inferre possumus, Eusebium sc. Vercellensem benè admodum de operibus Eusebianis censuisse, atque ea Ecclesiæ commendâsse.

‡ Circa ann. 382. ut putat Martianæus (Proleg. ii. in Divinam Bibliothecam Hieron.)

§ Circ. A. D. 389.

‖ Waltoni est sententia Hieronymum hos libros de novo vertisse, et ut hoc probaret, hæc è præfatione 2 in Paralip. citat.... "*Se non tàm vetera abolere conatum fuisse, quàm linguæ suæ hominibus* EMENDATA *de Græco in Latinam transtulisse.*" Quæ mihi tamen, de emendatione versionis veteris, non de novâ ex Græco factâ, omninò sonant.

¶ In Epist. ad Sophronium: "*Quia igitur*," inquit, "*nuper cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti: volensque ille te illudere, per sermones pæne singulos asserebat, non ita haberi in Hebræo, ut tu de septuaginta Interpretibus opponebas, studiosissime postulasti, ut post Aquilam et Symmachum et Theodotionem, novam Editionem Latino sermone transferrem.... Unde impulsus à te, cui et quæ possum, negare non possum, rursum me, obtrectatorum latratibus tradidi.... Certè confidenter dicam, et multos hujus operis testes citabo, me nihil dumtaxat scientem de Hebraïca veritate mutasse.*" In Apol. iii. adversus Ruffinum... "*ad confutandos Judæos etiam ipsa exemplaria vertere, quæ ipsi verissima confitentur.*"

** In præfatione in Librum Paralipomenωn, Domnioni et Rogatiano dicatâ, ita Pater Sanctus: "*Quomodo Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui à Troade per Leucatem, et Acroceraunia ad Siciliam, et indè ad ostia Tiberis navigârint; ita Sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus est, et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Undè et nobis curæ fuit, cum eruditissimis Hebræorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universæ Christi Ecclesiæ sonant.*"

locutiones de dictatione eorum Hebraïcâ, quæ, et ipse accitis notariis, Latina fecisse testatur.* Accedit quod Hieronymus in multis, opiniones scholæ Judaïcæ proprias, relictâ τῶν ὁ. Alexandrinâ, suas fecit: quod facere non potuisset, nisi hortulum suum eorum aquis irrigâsset. Commentarii ejus itaque, Doctrinæ planè Judaïcæ largiorem suppeditant sylvam, quam aut à Patribus Christianis, aut etiam solitariis ipsius laboribus, unquam adipisci potuisset Pater doctissimus. Et, ni valdè fallor, hæc operum Hieronymi longè optima pars est, quæ et Tironibus commendatissima esse debet.†

II. His igitur adjumentis instructus, tandem se ad vertendam Scripturam sacram ex Hebraïco idiomate in Latinum contulit Hieronymus: atque, circiter annum C. N. 393. quatuor Libros Regum, i. e. Samuelis duos, Regum duos, necnon Librum Job, ope Præceptoris sui Lyddæi; sedecim Prophetarum, Psalterium, Solomonis Libros, omnes in Linguam Latinam ex Hebraïcâ transtulit, uti ex Epistolâ ejus ad Pammachium (52) edocemur. Quo tempore singulos hosce libros verterit Sanctus Pater, definiri non potest: neque rescire multùm interest. Posthâc Libros Ezræ et Geneseos, circ. A. D. 394. Latinè reddidit: Chronicorum Libros, adjumento Judæi Tiberiensis, circiter Annum 396, cæterosque Pentateuchi antè annum 404: Libros, Josuæ, Judicum, Ruth, et Estheræ, currente anno 405, versos fuisse docemur. Hos omnes, utpotè rogatu amicorum susceptos, eorum nominibus piè dicavit Hieronymus: Libros sc. Regum et Prophetarum omnes Paulæ et Eustochio, virginibus tunc in Monasterio Bethlehemitico degentibus: Sophronio Psalterium, quod et ille Græcè reddidisse credibile est: Chromatio et Heliodoro Episcopis, libros Salomonis: Desiderio Pentateuchum: Libros Josuæ, Judicum, Ruth, Estheræ, mortuâ jam Paulâ, Eustochio inscripsit: Chronicorum, Chromatio: Ezræ et Nehemiæ, Domnioni et Rogatiano. Tobiam ex Chaldaïco transtulit, quem cum cæteris, quæ hodiè Apocrypha audiunt, è Canone, conceptis verbis, exclusit.

III. Versio nova Hieronymi, uti par erat, Bonorum omnium se acceptui, Malevolorum autem captui, quàm maximè commendabat. Illorum, Episcopus ‡ Ecclesiæ Africanæ quidam eam publicè lectitari permisit: et Augustinus ipse, quamvis eam publicè legi primò prohibuit, ne Fidelium mentes indè turbarentur, postmodum tamen multis nominibus cohonestavit. Horum, ex amico acerrimus hostis factus Ruffinus, invectivis suis Hieronymum persequi vix unquam desiit. "*Illa vero,*" inquit, "*quæ nunc tu interpretaris, et per Ecclesias et Monasteria, per oppida et castella transmittis, quomodo suscipiemus? tamquam divina, an tamquam humana? Et quid facimus, quòd quæ Prophetarum vel Legislatorum nominibus titulantur, veriora hæc abs te, quam illa quæ Apostoli probaverunt, affirmantur? Istud commissum dic quomodo emendabitur: immò nefas quomodo expiabitur? Si enim in explicandâ lege aliquid aliter sensisse damnabile apud te ducitur; ipsam legem pervertere in aliud quam Apostoli tradiderunt, quoties damnabile judicandum est?*§ Sed, apertis hujusmodi conviciis minimè contenti isti Hieronymi obtrectatores, quos et ipse *suos canes satis acrè vocat,* epistolam quoque fabricârunt, atque in Africam miserunt, nomine ejus signatam, in quâ perversiones Scripturæ sacræ ab ipso factas, confiteri fingitur: "in quâ," ut ejus verbis utar, "*agerem penitentiam, et me ab Hebræis in adolescentiâ inductum esse testarer, ut Hebræa volumina in Latinum verterem, in quibus nulla sit veritas, &c.*"—Flagitia tamen hujusmodi nimia fuerunt, quàm ut fidem diu vel à credulis impetrarent: atque proindè factum est, ut brevi Versio Hieronymi orbem totum Christianum peragrârit, omniumque ferè animos, præsertim doctiorum, sibi conciliârit. Sub tempus Gregorii Papæ, versiones ambæ, tum vetus tum Hieronymiana, in Ecclesiâ publicè legebantur, auctoritatem tamen maximam recentiorem adeptam fuisse videtur, eo quod Gregorius ipse, commentaria sua non in veterem, sed in novam, composuit; ita enim in Præfatione Moralium Expositionum suarum in Job verba facit: "Novam *verò* translationem *dissero, sed ut comprobationis causa exigit, nunc novam nunc veterem per testimonia assumo; ut quia sedes Apostolica (cui Auctore Deo præsideo) utrâque utitur; mei quoque labor studii ex utrâque fulciatur.*"

IV. Hinc ad tempora Caroli magni usque, utraque versio emendatorum manus experta non est,‖ quæ et oscitantiâ Librariorum corruptior pedetentim evasit. Ejus autem temporibus, Flaccus Alcuinus sive Albinus, gente Anglus, è patriâ vocatus atque Præfectus Cœnobii S. Martini apud Gallos Turonenses constitutus, ejusdem Caroli jussu Versionem Vulgatam recognovit, atque summâ curâ, adhibitis exemplaribus quàm emendatissimis, à capite ad extremum unguem emendavit. "*Eidem Carolo M.*" inquit Baronius (ad ann. 778. num. 27.), "*debemus ingens opus illud ab Alcuino, sive Albino elaboratum, quo totius divinæ scripturæ, tàm Veteris, quàm Novi Testamenti Vulgata editio emendata est. Acciderat enim, ut ipsa multiplicium Librorum exscribentium vitio, mendis obsita jam vilesceret. Quod periniquo animo ferens Carolus, ut quàm emendatissima ederetur, in pristinamque integritatem atque splendorem studio propensiori curavit.*" ¶

---

* Vide præfationem in Tobiam, &c.—Epistolas, Præfationes, cæteraque scripta Hieronymi in Sacra Biblia legisse, neminem quantumvis edoctum pœnitebit.

† Benè adnotat P. Fagius. "*Non attendunt quid, vel quem, secutus fuerit Vulgatus Auctor: cùm enim à veritate Hebraïcâ dissentire videtur, vel LXX. vel Paraphrastem Chaldæum, vel aliquem ex Rabbinis secutum fuisse ferè semper deprehendo: non est ergo temerè nata Vulgata editio, ut quidam scioli stultè et imprudentèr clamitant.*" apud Walton Proleg. 10. §. 12.

‡ "Quidam frater noster Episcopus," ait Augustinus in Epist. ad Hieronymum (71) "quum lectitari instituisset in Ecclesiâ, cui præest, interpretationem tuam, movit quiddam longè aliter abs te positum apud Jonam Prophetam, quàm erat omnium sensibus memoriæque inveteratum, et tot ætatum successionibus decantatum, &c."

§ Lib. 2. Invectiv. in Hieron. Is tamen omnium primus, uti testatur Millius in Versionem Hoseæ Hieronymianam commentarios composuit. (Proleg. in N. T. n. 870.)

‖ Aliter arguit Doctiss. F. Nolan in libro ejus de Vulgatâ Græcâ. p. 16. "About the middle of the sixth century," inquit, "Cassiodorus, who observed the dissimilarity still existing between the original Greek and Latin translation, which Pope Damasus had in vain undertaken to remedy by publishing a more correct version, took a more effectual method of curing the evil. Calling in the aid of the Greek original, and taking *Jerome's version* as its best interpreter, he undertook the correction of the old Italick by *the Vulgate* and Greek." Regesserim, *Versio S. Hieronymi*, et *Vulgata*, hîc recensitæ, duas versiones minimè sistunt, unica est enim Itala ipsa ab Hieronymo emendata. Voluit fortassis Cassiodorus, emendatam Hieronymi Editionem hoc modo in perpetuum servare, quo et Origenis Hexapla Versionem τῶν ὁ. ad Hieronymi tempora usque servaverant. Neque Cassiodorus emendationem textualem aut suscepit, aut Scribis suis injunxit: verba ejus sunt: "*Precor enim vos qui emendare presumitis, ut superadjectas literas ita pulcherrimas facere studeatis, ut potius ab antiquariis scriptæ fuisse judicentur.*" (ib. p. 17.) Quæ mihi hunc sensum fundunt: Vos qui exemplaria vetera, sive Græca, sive Latina, quoad literas emendare præsumitis (non qui nova exarare suscipitis) id in primis in mente habere jubeo, ut eæ perpulchræ exarentur, adeò ut ab antiquariis fuisse scriptæ judicarentur: nemine literarum emendationem observante. Pandecte Cassiodori, itaque, nullam emendationem textualem proposuit; sed Biblia tantummodo diglotta, ad quæ alii in posterum confugere possent: "Ideoque," inquit, "vobis et Græcum Pandecten reliqui comprehensum in libris 75." Mirum quantum ex hoc expiscantur tum Simonius tum Doctiss. F. Nolan.

¶ Vide Hodium, p. 409, &c. Mabillonius ad calcem Tom. iv. op. S. Bernardi, col. xi. xii. Wetsten. Proleg. in Nov. Test. p. 84, &c. Dicunt sc. Alcuinum exemplaria Archetypa Hebraïca, Græca, necnòn in Novo Testamento versionem Syram, in subsidium vocâsse. Negat tamen Vallarsius, (et ei adstipulatur Porsonus in Lett. to Travis, p. 145.) Alcuinum hujusmodi subsidia ad manus habuisse; affirmatque eum tantummodo Codices Latinos hinc indè collegisse, atque ad eorum fidem Editionem suam emaculâsse, quod et mihi verisimillimum videtur. Præfat. in Tom. ix. ad ejus S. Hieronymi Editionem: et apud Blanchinum, in Vindiciis Canon. Script. Vulgat. p. 328, 329. Errant fortassis, igitur, Michaelis in Curis ad Acta Apost. p. 175. Introd. in N. Test. vol. ii. pt. 1. et Marshius in notis: item Nolan in Vulg. Gr. p. 21. qui tamen p. 23. negat Versionem Syriacam Europæis innotuisse ante annum 1552. Quomodo igitur Alcuinus eâ uti potuerit in sæculo octavo, sanè nescio. In pag. 19. ib. ulterius progreditur Vir doctus atque asserit, Codicem Bezæ Cantabrigiensem, &c. hujus esse stirpis. At pace ejus dicendum, hunc Codicem fuisse exaratum diù ante natalitia Alcuini, (vide p. 54. ib.) ejusve recensionem, si ea usquam aut

V. Posthâc, sæculo xi. Lanfrancus* Archi-Episcopus Cantuariensis Editionem Vulgatam denuò recognovit, criticisque adhibitis adjumentis emendavit: "*Lectioni assiduus,*" inquit Vitæ ejus scriptor, et ex eo Robertus de monte ad A. C. 1089. "*et ante Episcopatum, et in Episcopatu, quantum poterat; et quia Scripturæ, scriptorum vitio, erant nimium corruptæ, omnes tam Veteris quam Novi Testamenti libros, necnòn etiam scripta sanctorum Patrum, secundum orthodoxam fidem, studuit corrigere; et etiam multa de his quibus utimur die ac nocte in servitio Ecclesiæ, ad unguem emendavit.... Hujus emendationis claritate, omnis occidui orbis Ecclesia, tam Gallica, quam Anglicana, gaudet se esse illuminatam.*"

VI. Haud ita multò post, sæculo sc. xii. Stephanus Cistercii Abbas Vulgatam Editionem multo sudore emendavit, corrasis undique exemplaribus Latinis, Judæisque Magistris in subsidium advocatis. "*Plurimos libros,*" inquit, "*quos de diversis Ecclesiis congregavimus, ut veraciorem sequeremur; in quemdam ferè ab omnibus multum dissonantem impegimus*"..." *undè nos multum de discordia nostrorum Librorum, quos ab uno Interprete suscepimus, admirantes, Judæos quosdam in sua Scriptura peritos adivimus, ac diligentissimè lingua Romana inquisivimus de omnibus illis Scripturarum locis, in quibus illæ partes et versus, quos in prædicto nostro exemplari inveniebamus, et jam in hoc opere nostro inserebamus, quosque in aliis multis Historiis Latinis non inveniebamus.*"..." *Interdicimus,*" addit, "*etiam auctoritate Dei et nostræ Congregationis, ne quis hunc librum, magno labore præparatum, inhonestè tractare, vel ungula sua per scripturam, vel marginem ejus aliquid notare præsumat.*" Hoc exemplar hodieque exstare dicunt nonnulli.

VII. Plures minoris momenti recensiones† sicco pede pertransimus, ad insigniores quæ Concilii Tridentini tempora insequutæ sunt, properantes. Ecclesiæ enim Pontificiæ, his demùm temporibus, bella adhùc inaudita ingruere cœperunt; insurgebant enim nonnulli, iique haud inferioris subsellii viri qui affirmare non dubitabant, Regnum Christi, quod omnibus sæculis spiritale futurum prædixerant Prophetæ, avaritiâ luxuque Sacerdotii Romani, mundanum jam fuisse factum: Pontificatumque ipsum, ethnico insignitum nomine, nullâ nisi ethnicâ suffultum auctoritate, in Ecclesiam Christi fraude dominari. Multis hinc inspiciendi Scripturas sacras, novum additum fuit calcar; nihil statim antiquius esse cœpit, quàm literas sacras rimari, de iis disputare; in vulgum voces ambiguas spargi, Numquid res ita se habuerint, necnè. Hinc pars scripturas sacras, aut denuò interpretari, aut inter Plebem evulgare operam dabant; recalcitrante totis viribus Papatu, atque quoad ejus fieri potuit, literas sacras in scriniis suis obserante. Atqui, non modo omnia sua facere, auctoritatis falsæ obtentu pergebant Pontificii, omniumque oculos interpretamentis coactis, pravis, excæcare; verùm et Libros, qui Apocryphi audiunt Hieronymique temporibus pro humanis habebantur, omnium fidei dudùm ultrò obtruserant; quod et iis pars altera, qui se Reformatores nuncupabant, pro virili objecerunt. Pontificii alterâ ex parte, ut semet faciliùs expedirent, auctoritatemque læsam sibimet plenariam restituerent, Synodum ex suis confectam undequaque congregârunt: qui, ut solenne est hominibus ita affectis constitutisque, in unum congregati, hujusmodi rata ac sancita esse decreverunt: Omnes sc. qui in posterum plenariam Apostolicæ sedis Romanæ auctoritatem, ejusve dicta quæcunque quovis modo sugillare, Scripturasve sacras pro seipsis interpretari, aliam demùm Scripturam præter Vulgatam Latinam (adhùc tamen adeò variam ut quis quodnam esset Vulgatæ exemplar meritò dubitaret) usurpare, aut Libros Apocryphos non Canonicos esse credere, ausint vel præsumserint, pro anathemate habendos esse.

VIII. Ita se res habuit, donec tandem Sixtus V. Papa, vir pietate insignis, sedem Apostolicam, ut aiunt, tenuit. Is enim, distracti suorum statûs misertus, respectu ad decretum Concilii Tridentini suprà memorati, viginti duos anteà sancitum annos, habito, tum Viros doctos tum exemplaria Bibliorum Latinorum, sive ea impressa sive manuscripta fuerint, Romæ congregavit, novamque Editionem ad omnium necessitates aptatam parare instituit. Ipse præterea, ut Apostolicâ omninò auctoritate gauderet incœptum, plagulis omnibus manum ultimam imposuit: atque ita factum est, ut Doctorum, Exemplarium diversorum diversis etiam linguis scriptorum, næ divinâ infallibilique Apostolicâ, ope, omnia ad pristinam immò plusquam pristinam puritatem reddita sancitaque tandem evaserint. Audiamus tamen Apostolicum Virum pro semet susceptoque suo conceptis verbis disserentem.

IX. "Callidissimus," inquit, "ac nequissimus humani generis hostis, cujus invidia mortis aculeus, cujus superbia peccandi magisterium fuit, nullam non movit lapidem, ut cœlestem divini verbi sementem quantum in ipso erat, aut nascentem opprimeret, aut extirparet enatam, aut adultam vitiaret, id verò præcipuè omni conatu, ac machinatione tentavit, ut sacrorum quædam corruptissimæ Bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas sub pietatis figura delitesceret, ac populis scoria pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte sanies obtruderetur. Cumque non in Hæreticis tantum, sed in Catholicis etiam quibusdam, tametsi consilio dissimili, SUBORTUM SIT NIMIUM QUODDAM NEC PLANE LAUDABILE STUDIUM ET QUASI LIBIDO SCRIPTURAS LATINE INTERPRETANDI: idem malorum omnium artifex Satanas per illos, licet nihil tale cogitantes, ex hac ipsa tam incesta, ac multiplici versionum diversitate et varietate sumpta occasione, sic miscere omnia, atque in dubium revocare, et, si fieri posset, rem eò perducere contendit, ut... nihil in iis certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas sine magna difficultate reperire posse videtur."... "Quare huic morbo sacrosancta Tridentina Synodus mederi cupiens statuit ut ex omnibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum Latinis editionibus, IPSA VETUS, ac VULGATA, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia probata est editio, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et nemo illam REJICERE QUOVIS PRÆTEXTU AUDEAT VEL PRÆSUMAT. Hæc autem Vulgata editio cum una esset, variis lectionibus in plures quodam modo distracta videbatur. Quarum licèt nonnullas, aut veterum Codicum, aut sanctorum Patrum invexisset auctoritas, plurimæ nihilominus vel ex injuria temporum, vel ex librariorum incuria, vel ex impressorum imperitia, vel ex temerè emendantium licentia, vel ex recentiorum interpretum audacia... vel demum ex hæreticorum scholiis ad marginem, captiosisque falaciis obrepserant... tanta autem labes ne adhuc ulterius serperet, sensimque in Vulgatam editionem nostram manaret, sapienter eadem œcumenica Synodus Tridentina decrevit ut hæc ipsa Vetus et Vulgata editio posthac quàm emendatissimè imprimeretur.... Id igitur nos indignè ferentes, eóque indignius, quod per hosce jam viginti duos annos, qui a dicto Tridentini Con-

temporis aut loci exstitit. Neque dificile esset commonstrare, Codices Latinizantes Græcos, etiam ante tempora Augustini exstitisse, mera sunt somnia igitur hujusmodi hypotheses Simonii et F. Nolan.

* Wetsten. Proleg. p. 85.

† Videsis Carpzov. Crit. Sacr. P. ii. cap. vi. p. 685, &c. Hodius, Lib. iii. cap. x. Proleg. Wetsten. in Nov. Test. p. 85, &c. Clarissimus tamen Blanchinus in eo est ut statuat, Vulgatam Latinam Versionem tres expertam fuisse status; Primus, si ejus mentem rectè assequor, cùm é manibus Hieronymi primo exiisset, nullis Vetustioris inquinamentis fœdata: secundus, cùm Ecclesiæ Antistites, datâ operâ ex Vetustiori lectiones nonnullas ei intulissent: tertius, cùm correctionem ab Alcuino institutam subiisset, cui et Vulgata hodierna ut plurimum est conformis. Codex enim Alcuini, testibus Baronio, Vallarsio, et Blanchino, hodie in Vallicellanâ Romæ Bibliothecâ adservatur, et quod eo in emendandâ Vulgatâ editione post Concilii Tridentini decretum, usi sint correctores Romani. Videantur Blanch. Vindiciæ ad Vulg. Lat. p. 319—340. Hodius, p. 410.

cilii decreto, ad nostri usque Pontificatus exordium interfluxerant... nihil tandem antiquius habuimus, quam ut primo quoque tempore, optatissimam istam Vulgatæ editionis emendationem aggrederemur.—In hoc laboriosissimæ emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, EAMQUE PLURIBUS HORIS COLLOCANDAM DUXIMUS, aliorum quidem labor fuerit in consulendo, NOSTER AUTEM IN EO, QUOD EX PLURIBUS ESSET OPTIMUM, DELIGENDO: ITA TAMEN, UT VETEREM MULTIS IN ECCLESIA ABHINC SECULIS RECEPTAM LECTIONEM OMNINO RETINUERIMUS: ...eaque res quo magis incorruptè perficeretur, NOSTRA NOS IPSI MANU CORREXIMUS...ut Vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præscripto, emendatissima, pristinæque suæ puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu styloque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur."—Librorum Apocryphorum nonnullos rejecit, cæteros omnes Concilium Pontificale Tridentinum pro canonicis habere voluit.—Nam," inquit, "tertium et quartum Esdræ libros inscriptos, et tertium Machabæorum, quos Synodus inter canonicos non annumerat...ab hac editione prorsus explosimus. Orationem etiam Manassæ, quæ neque in Hebræo, neque in Græco est, neque in antiquioribus manuscriptis Latinis exemplaribus reperitur; sed in impressis tantum post librum secundum Paralipomenon affixa est...repudiavimus. Nonnullas etiam aliquando sententias, quæ aliundè accersitæ, Vulgatæ editioni interpositæ erant, neque in antiquis exemplaribus, neque in sanctorum Patrum Commentariis inveniebantur, delevimus...Et EX CERTA NOSTRA SCIENTIA, DEQUE APOSTOLICÆ POTESTATIS PLENITUDINE STATUIMUS, ac declaramus, eam Vulgatam sacræ, tam Veteris quam Novi Testamenti paginæ Latinam editionem, quæ pro authentica a Concilio Tridentino recepta est, SINE ULLA DUBITATIONE, AUT CONTROVERSIA CENSENDAM ESSE HANC IPSAM, QUAM NUNC PROUT OPTIME FIERI POTUIT, EMENDATAM, et in Vaticana Typographia impressam in universa Christiana Rep....legendam evulgamus.—Dat Romæ, apud sanctam Mariam Majorem, Anno incarnationis Dominicæ 1589. Kalendis Martii, Pontificatus nostri anno Quinto."

X. Plura eo fine dedimus, ut Lectoribus planissimè constaret, quâ demùm crisi, quâ auctoritate, suffulta prodierit Editio hæcce celebratissima vexatissimaque. Atqui *humanum est errare*, quantumvis certâ scientiâ, vel etiam Apostolicæ potestatis plenitudine, Pontifex ipse maximus se munitum esse crederet, effutiretve. Vix enim biennium pertransierat, cùm alter Pontifex isque Maximus, Clemens inquam octavus, sedem Apostolicam tenuit, Apostolicâ potestate plenariâ, certâ quoque scientiâ fretus, alteram editionem molitus est, atque in lucem tandem emisit; certior sc. factus, editionem Sixti item Papæ, erroribus quam plurimis scatere.* Sed quùm is Præfationem suæ editioni multò quidem Sixtinâ modestiorem, remque paulò altiùs repetentem, præmisit; quædam ex eâ excerpta hic dare operæ esse pretium credimus.... "Et quamvis," inquit, "insignium Academiarum Theologi in Editione vulgata pristino suo nitori restituenda magna cum laude laboraverint; quia tamen in tanta re nulla potest esse nimia diligentia...ideò Pius IV. Pontifex Maximus, pro sua in omnes Ecclesiæ partes incredibili vigilantiâ, lectissimis aliquot sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque tum Sacrarum litterarum, tum variarum Linguarum peritissimis viris, &c....Quod itidem institutum Pius V. prosecutus est. Verum Conventum illum, ob varias gravissimasque Sedis Apostolicæ occupationes jamdudum intermissum, Sixtus V. divina providentia ad summum Sacerdotium evocatus, ardentissimo studio revocavit, et opus tandem confectum typis mandare jussit. Quod cum jam esset excusum, et ut in lucem emitteretur,† idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Biblia præli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit."—Hoc est, quamvis Sixtus ipse ultimam manum corrigendis schedis admovisset, certâque suâ scientiâ novisset, omnia jam esse quàm emendatissima; serò tamen animadvertit, scientiam certam illam suam seipsum fefellisse, textumque emendatissimum emendatione ulteriori prorsùs eguisse. O fallacem falli nesciam mentem! O scientiam certam illam certissimâ inscitiâ laborantem, Quousque tandem mortales impudentiâ plusquam ethnicâ, sanctitatis Apostolicæ obvelatione, excæcare pergis, ipse tamen caligine Egyptiacâ densiore obrutus? —"Id verò," pergit noster, "cùm morte præventus præstare non potuisset, Gregorius XIV. qui post Urbani VII. duodecim dierum Pontificatum Sixto successerat, ejus animi intentionem exsecutus, perficere aggressus est; amplissimis aliquot Cardinalibus, aliisque doctissimis viris, ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque, et qui successit, Innocentio IX. brevissimo tempore de hac luce subtractis; tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII. qui nunc Ecclesiæ universæ gubernacula tenet, opus, in quod Sixtus V. intenderat Deo benè juvante perfectum est. Accipe igitur Christiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia, veterem ac Vulgatam sacræ Scripturæ Editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, &c."—"in hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla CONSULTO MUTATA, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, CONSULTO IMMUTATA RELICTA SUNT."‡—Hæc, quamvis apparatu sat splendido Doctorum, exemplarium, scientiæ certæ Pontificalis, suffulta fuit ultima editio, eam tamen pristinam puritatem, quam sibi pleno ore pollicitus erat Sixtus, nondum adepta est! Hucusque historia ejus.

XI. Num Vulgata hodierna ullâ ex parte Hieronymum sapiat Auctorem, fuerunt olim tum ex Pontificiis tum ex Reformatis, qui dubitabant. Unusquisque, ni fallor, hodieque in eo est ut fateatur, eam, maximam demùm Veteris Testamenti partem, exceptis tantummodo Psalmis et libris Apocryphis, Hieronymianam spirare. In Novo autem Testamento, Psalmis, et Apocryphis, Veterem Italam ab Hieronymo emendatam, variis tamen corruptionibus temporis decursu scatentem sistere. Sepositis tamen errorum segetibus, quibus post iteratas suprà dictas curas etiamnùm deformatur Versio, et quorum indices amplas dederunt Waltonus,§ Calovius,‖ Carpzovius,¶ et cæteri nonnulli, quas describere supersedemus; ea tum Doctis tum Discentibus magno esse usui potest, æque in sensum Scripturæ determinando exegeticum, ac lectiones criticas dijudicando. At enim verò, ut omnes benè muniti ad hosce labores accedant, necessè est Editiones optimas accuratioresque consultum eant, quales sunt Veteris sc. Vulgatæ, "*Bibliorum Sacrorum Latinæ Versiones* antiquæ operâ D. Petri Sabatier, necnon Evangeliaria Doctissimi Blanchini Martianæique suprà laudata: Recentioris sc. Hieronymi, copiam facient opera elaboratissima Benedictinorum, Jo-

---

* Concordiam discordem, Sixtinam inter et Clementinam Editionem, optimè demonstrabit Libellus Thomæ Jamesii, cui titulus, Bellum Papale, &c." Lond. 1606.

† *Emissum esset*, dicere debuit is quicunque hanc præfationem conscripsit: multa enim exemplaria in Publicum emissa sunt, ut omnes benè nôrunt.

‡ Benè animadvertat Lector, Concilium Tridentinum omnes ferè Libros Apocryphos canonicos fecisse. Quomodo demùm, quæreret quisquam, posthac præfigi possent Hieronymi præfationes, quarum nonnullæ cum Concilio hocce apertè pugnant? Audi præfatiunculam Clementis, nodum ingeniosissimè simul atque indulgentissimè solventem: "*Nullæ ad marginem concordantiæ...nullæ notæ, nullæ variæ lectiones*, NULLÆ DENIQUE PRÆFATIONES, *nulla argumenta ad librorum initia conspiciantur.*" At, ut nemini suspicionem fraudis excitetur, addit: "*Sed sicut Apostolica Sedes industriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, præfationes Sancti Hieronymi, et alia id genus in aliis editionibus inseruerunt; ita quoque non prohibet, quin alio genere characteris in hac ipsa Vaticana editione ejusmodi adjumenta, pro studiosorum commoditate atque utilitate, in posterum adjiciantur,*" &c. Et proindè factum est, ut Editiones pænè innumeræ, sacra cum profanis ad scita sanctissimi Concilii hujusce miscentes, in Vulgum emissæ sunt, atque etiamnum tam Linguâ Latinâ quàm vernaculis, emittuntur.

§ Proleg. x. §. 9.

‖ Crit. Sacr. T. ii. Memb. vii.

¶ Crit. Sacr. P. ii. cap. vi. p. 676, &c.

hannis Martianæi et Antonii Pouget, Ann. 1696—1706, necnon post iteratas curas, Illustriss. Vallarsii, Veronæ, ann. 1734—42." Quamvis enim Editio Romana ecclesiastica, qualis Clementina se habet, et hæc quoque Bibliorum Editio sistit, in plurimis cum Hieronymianâ jam laudatâ conspiret, sunt tamen multa eaque loca haud inferioris momenti, quæ longo tramite, divagantur, quæ et probè notare prudentiores minimè gravabuntur.

# PROLEGOMENON VI.

## SECTIO I.

*De Crisi Novi Testamenti, ejusque textûs Græci statu hodierno.*

I. Qui historiam contextûs Novi Fœderis, Patrumque ex eo citationes perpendere instituant, Prolegomena Millii, Wetsteniique adeant; nostrum erit hîc loci, leges eas præcipuas pervestigare, quibus, ex lectionis varietate immani quâ hodiè pænè obruimur,* et textum in statum pristinum redigere, et ita redactum dijudicare, possimus; deindè loca quædam vexata in incudem revocare.

II. Prima igitur quæstio nostra erit, Quomodo ex lectionibus ejusdem loci permultis decernere queat quisquam, utra earum genuina sit? Ut huic quæstioni satisfacerent, ad multa experimenta se contulerunt Viri Docti: et, ut lectionum farraginem aliquantulum in ordinem redigerent, Codices primò in Familias quasdam (detur venia verbo) dispescuerunt; deindè, regulis quibusdam excogitatis, ad deligenda quæ sibi potiora viderentur, perrexerunt.† Bengelius, primus fortassis, Codices in quinque Familias distribuit; quia sc. viderat, permultos Codices easdem ferè semper sistere lectiones, acsi ii Coryphæos quosdam, sibimet in magistros propositos, secuti fuerint. Ita enim Vir doctus in introductione in crisin N. T. (p. 422.) sententiam suam profert: "Facile hinc (i. e. ex historiâ editionum τῶν ὁ) existimare possumus, singula climata, ut LXX. interpretes vel Hesychianos, vel Lucianeos, vel Origenianos, nacta sunt, ita eadem junctos LXX. interpretibus libros N. T. vel Hesychii, vel Origenis, vel Luciani nomine sibi commendatos, admisisse. Hinc parodiam præfationis ad Chromatium instituere liceat, et re *ad quinque sedes* regionesque orbis Christiani prolata, sic dicere: *Habuit* Alexandria *et Ægyptus codices* N. T. *ab Hesychio;* Constantinopolis, *vel certè* Antiochia, *à Luciano nuncupatos: provinciæ circum* Hierosolyma, *Origenis, Pamphili, Eusebii codices legerunt.* Romæ, *Græcis codicibus, Luciano, Origene, Hesychio, antiquioribus, Latinos debet, multis partim ab ipso ortu, partim deinceps maculis fœdatos, sed ex Origenianis codicibus græcis per Hieronymum emendatos.*" Quo tamen pacto hujusmodi familiæ ab alterutris distingui possint, non definivit Vir doctus: neque in suâ editione adornandâ, iis, uti nobis quidem videtur, usus est.

III. Post Bengelium Griesbachius *tres* exstare *recensiones veterum* statuit. "Plures antiquitûs exstitisse et adhùc in codicibus versionibus et patrum allegationibus superesse," inquit Vir doctissimus (Proleg. in N. T.)"textûs Novi Test. *recensiones*, mirum videbitur, nemini.—Extitisse autem ineunte saltem tertio seculo duas jam recensiones, è collatione locorum Novi Test. ab Origene græcè laudatorum cum allegationibus Tertullianeis et Cyprianicis manifestum fit. Hæ enim græcum textum ponunt, toto suo habitu universoque colore diversum ab eo, quem Origenes, et antè hunc jam Clemens Alexandrinus, usurpavit... Posteriorem hunc textum, quem Clementem et Origenes Alexandrini ac Ægyptii potissimum adhibuerunt ac disseminarunt, non incommode *Alexandrinum* dixeris. Alter, inde a Tertulliani tempore ab Afris, Italis, Gallis aliisque occidentalibus usurpatus, haud inepte *occidentalis* nomine insigniri poterit."—"Hi omnes (i. e. codices A E F G H S) in Evangeliis cum iis ferè Patribus (quantum ex imperfectis horum collationibus colligere licet,) consentire videntur, qui seculo quarto exeunte quintoque ac sexto in Græcia, Asia minore et provinciis vicinis floruere, fuitque hæc recensio, quam *constantinopolitanam* hinc nominare licebit."—Hucusque omnia sat liquidò constant: cum tamen ad hujus normæ usum deventum fuerit, difficultates nonnullæ eæque haud leves discutiendæ semet proponent. Versio namque Syra, necnon laudata Chrysostomi, ut ipse Griesbachius ingenuè fatetur, harum recensionum modulum nequaquam agnoscunt: arte tamen conjectandi, uti solenne est, hoc omne perfacile dilui potest; Versio etenim Syra *reficta est:* et loca Chrysostomi ex omnibus sine discrimine recensionibus allegata sunt! Restant tamen adhuc alia haud adeò facile diluenda: "Præter codices," subdit Vir Doctissimus, "unam ex illis recensionibus vetustis exhibentes, extant nonnulli, quorum textus è *duarum triumve recensionum lectionibus conflatus est;* è quo genere sunt fragmenta codicum P Q R, mox cum Alexandrinis mox cum occidentalibus consonantium. Ad hanc classem possent etiam referri forsitan, quos supra vel alexandrinis vel occidentalibus, à parte potiori, accensuimus, codices 1. 13. 33. 69. 106. 118. 124. 131. 157. cum *versionibus æthiopica, armenica, sahidica, syra hierosolymitana, et philoxenianæ margine.* In his enim omnibus alexandrinæ lectiones admixtæ sunt occidentalibus, et vicissim. Sunt vero etiam codices nonnulli, in quibus constantinopolitanæ quidem lectiones, si universam textus conformationem spectes, regnant, adspersis tamen pluribus paucioribusve lectionibus sive alexandrinis sive occidentalibus, quo pertinent codices, *e gregariorum numero eximendi*, licet non eadem omnes auctoritate pollentes: KM. 10. 11. 17. 22. 28. 36. 40. 57. 61. 63. 64. 72. 91. 108. 127. 142. 209. 229. 235. et Evangelistaria 18. 19. 24. 36."—Hostium, ni valdè fallor, cohors sat formidabilis!

IV. Vestigiis partim Griesbachii partim Bengelii partim adinventorum suorum, insistit Vir doctissimus nostras Rev. F. Nolan, in Libro suo de Vulgatâ Græcâ, hoc tamen discrimine, ut *tres* suas recensiones sive Familias, ad Editiones Vulgatæ Latinæ, Vercellensem, Brixianam, Hieronymianam, ceu lapidem Lydium, referat exigatque: "In a word," inquit (p. 61.) "the Greek manuscripts are capable of being divided into three principal classes; one of which agrees with the Italick translation contained in the Brescia manuscript; another with that contained in the Verceli manuscript; and a third with that contained in the Vulgate." Atqui, vir doctissimus simul ac solertissimus, ut hypothesin suam meliùs firmaret omnemque objiciendi occasionem præcideret, tum Textum Palæstinensem, ab Origene elaboratum atque ab Eusebio Pamphili in lucem emissum, ceu corruptum insimulat, tum Versiones, Syram, Copticam, Sahidicam, Æthiopicam, è textu Eusebiano, uti is vult factas ideòque corruptas, flocci æstimandas planéque rejiculas esse apertè affirmat. Audax sanè crisis, et quæ argumentis validissimis stabiliri debeat: si enim totus ferè Oriens ad hunc usque diem, corruptis usus est Scripturæ sacræ exemplaribus, eaque ipsa exemplaria in permultis cum nostris amicissimè conspirantia, (et reverâ ita conspirare deprehenduntur), et nostra fortassis non paucis in locis corrupta reperientur! Patrum

* Bentleius noster, sibi modulum (circ. Ann. 1717.) denuo edendi Nov. Test. Græco-Latinum ejusmodi proposuit, ut missis lectionis varietatibus, rem omninò conficeret. Explorato enim, Græca nonnulla exemplaria, præsertim antiquissima, cum Vulgatâ Latinâ, mirum in modum conspirare, Editionem utriusque emittere decrevit, quæ, ut ei quidem videbatur, cum Autographis Evangelistarum et Apostolorum, in omnibus conveniret. (Videantur Epistolæ et conspectus ejus Ann. 1717—20, 21. in lucem omissos.) Editio tamen, nescio quo fato, lucem non vidit: quod, meâ qualicunque sententiâ, nemini dolendum est.

† De Codicibus MSS. hodiè exstantibus, eorumque indole, videantur omninò Prolegomena Wetstenii in Nov. Test. ab ipso editum, Symbola critica Griesbachii, Millii Proleg. &c.

præterea allegationes tanquam suspiciosæ insimulandæ venient; et denique, ubi pedem tutè figere queamus, locus vix restabit. Oleum igitur et operam fortassè non perdemus disquirendo, num argumentum hocce Viri Doctissimi verè palmarium, talo sat firmo inniteretur necnè. In pag. 25, ita mentem suam aperit Rev. F. Nolan:

V. "Near the beginning of this century, (5th), an edition of the original Greek was published by Eusebius of Cæsarea, under the sanction of Constantine the Great." (p. 26.) "If we now compare the authority thus committed to Eusebius, which *seems* to have vested him at least with discretionary power, of selecting chiefly those sacred scriptures which he knew to be useful and necessary to the doctrine of the church, with the state of the sacred text as it is now marked in the corrected edition lately put forth by M. Griesbach; we shall perhaps discover how far it is probable he acted to the full extent of his powers, and removed those parts of scripture from the circulated edition, which *he* judged to be neither conducive to use nor doctrine, &c." "If two points can be established against Eusebius, that he wanted neither *the power* nor *the will* to suppress these passages, &c."

Responderim, hæc omnia valdè sunt speciosa: unum tamen iis deest; sc. fundamentum aliquale in rerum naturâ. Primò enim, Eusebius nullam, suopte studio, Editionem Scripturarum sacrarum unquam procuravit. Editionem Græcam Hexaplarem Origenianam, uti omnes nôrunt, is, ope ac suasu fortassis Pamphili amici sui, in lucem emisit: non correxit. Constantinus, præterea, ei in mandatis dedit, ut quinquaginta exemplaria describi sedulò curaret, atque ea benè compacta ad Constantinopolin mitteret. Huic mandato morem gessit Eusebius, exemplaria describi curavit, misit: eaque, ut credere par est, ad Editionem Origenis exarata. Cujusmodi *Voluntas* ejus fuerit, hâc in re, nemo mortalium facile dixerit: certum tamen hoc est, Patrum nullum aut orthodoxum aut heterodoxum, id ei vitio vertisse, quod hanc codicum descriptionem susceperit; neque eò processit ut vel innueret, Eusebium Scripturas uspiam vitiâsse. Hieronymus ipse Orthodoxus atque doctissimus, qui et exemplar Eusebianum oculis suis perlustraverat, nullum ei crimen intendit, nullam ei infamiæ notam inussit; verùm de Editione hâcce ab Eusebio evulgatâ ita loquitur acsi ea, Scripturas immaculatas omninò exhibuerit. Hujus generis sunt et testimonia aperta Hieronymi. Augustinus, næ Ecclesia tota Christiana Latina, emendationes Hieronymi acceperunt, laudibusque ad cœlum usque evexerunt, exceptis Ruffino malevolisque quibusdam. Et tamen hæcce ejus emendatio in omnibus textum Hexaplarem Origenis, in Bibliothecâ Eusebii adservatum, repræsentavit. Undè demùm factum est, ut hi omnes corruptiones Eusebii, siquæ exstitissent, nunquam viderint? Res omnium sanè in oculos incurrisset, ni excæcati penitùs fuissent: atqui Vir ille Reverendus tandem id in lucem protulit, quod omnes tum veteres tum recentiores quantumvis docti, omninò latuit! Non credo: *ὑποθέσει δουλεύειν τοσαύτῃ* minimè queo: sed et affirmabo, neminem argumentis validis id demonstrare posse, quod Vir Doctissimus, locis citatis, asserere non dubitavit.

VI. Pergit tamen Vir Reverendus, atque loca illa, in quibus Eusebium textum corrupisse vel deprehendit, vel deprehendisse sibi visus est, in medium profert: "As it is thus apparent," inquit, "that Eusebius wanted not *the power*, so it may be shewn that he wanted not *the will*, to make those alterations in the sacred text, with which I have ventured to accuse him. In one or two instances I am greatly deceived, or the charge may be brought absolutely home to him. St. Jerome informs us, that the latter part of St. Mark's Gospel was wanting in most copies of the Evangelist extant in his times.... As it existed in some copies in St. Jerome's day, it necessarily existed in more in the days of Eusebius; for we shall presently see that it lost the authority to be derived from his powerful sanction."... "Eusebius wholly omitted it in his canons... Now those canons, compared with the passage in question, convey all the certainty which can be derived from presumptive evidence that he omitted this passage.... The inference seems to be as strong as the establishment of the point requires, that *he* first omitted this passage of St. Mark in the sacred text, as he has omitted it in his canons." Et in notis ad pag. 36. "It is not found in the original copies of the Canons prefixed to the manuscripts of the Greek, nor in the translation of them prefixed to the manuscripts of the Vulgate; it is wanting in the marginal references of the Cambridge and Alexandrine MSS. and is omitted by R. Stephens in his Greek Testament, and by Victorius in his edition of Jerome. Several scholia occur in the MSS. of the original Greek, some of which assert that Eusebius did not refer in his Canons to this passage."... *Εν τίσι μὲν ἀντιγράφων ἕως ὧδε πλήρουται ὁ Εὐαγγελιστὴς, ἕως οὗ καὶ Εὐσέβιος ὁ παμφίλου ἐκανόνισεν.*" Quàm verè dicta sint hæc omnia nunc disquiramus. Pro, "*several scholia*," dicere debuit Vir doctus, *one scholion*, *plura* enim non exstant, sive verba ipsius loco citato consulas, sive Wetstenii, qui omnia quotquot corraserunt Viri docti, exhibet ad locum. *Unus* igitur *Scholiastes* affirmavit Eusebium sc. hucusque. i. e. ad finem versûs 8. cap. xvi. canones suos posuisse. Ast et Scholiastes ipse decipi potuit; ita ut et Vir hicce Reverendus semet decipi passus est, asserit enim Victorium in suâ operum Hieronymi Editione, canonem Eusebianum ad hunc locum non adposuisse: et verum est, index numeralis enim ultimus hîc adpositus, est ad initium vers. 8. et ad numerum 233. tantum assurgit. Hucusque omnia plana sunt. At, si tabulam Canonum huic Novi Testamenti Editioni præfixam inspicere liceat, reperietur, in Canone viii. numerum sectionum in Evangelio Marci, ad numerum 234 assurgere: et in Canone x. ad 235. Canones igitur Eusebiani, tametsi in textu ad numerum 233 modo assurgant, in tabulis tamen ad 235. Quid demum? Dormitavit forsàn Marianus Victorius; et hallucinatus est Doctissimus F. Nolan. Quomodo autem, regerat quisquam, legunt Editiones aliæ: e. g. Polyglotta Londinensia, omnium examini obvia? Verbulo dicam: Canones Eusebiani ad v. 14 usque notantur, maximusque eorum computus ad σλϛ (236) exsurgit! Maximus tamen numerus in tabulis occurrens est σλε (235) in canone octavo, *ἐν ᾧ οἱ δύο*. In Canone autem decimo σλδ (234), quorum præterea uterque ultra finem versûs octavi positus est. Errorem sanè in his numeris, vel potiùs defectum, quisque videbit, et id genus qui ostendat, Eusebianos Canones ultimam pericopen Evangelii hujus complecti, quod et comprobant tabulæ illæ à Mariano Victorio evulgatæ. Scholiastes autem *unus* aliud suggerit: falsus esse potest. Editio R. Stephani quoque eosdem atque Waltonus omninò numeros exhibet, iisdemque in locis. Martianæus et Vallarsius cum Victorio in omnibus conspirant, additis præterea numeris 234, 235, in textu, juxtà ac Stephanus et Waltonus fecerunt. M. S. Cantabrigiensis numeros in maximâ parte cap. xv. et xvi. omittit, quod nemo vitio vertet Eusebio. Quàm accuratè igitur Rev. F. Nolan auctoritates suas perpenderit, videbit quisque. *

VII. Accedit quod si fidem his tabulis adscribere liceat, verisimillimum erit Eusebium pericopen hanc non omisisse. Hoc comprobat 1. quod *Codex* quidam *Palæstinensis* eam habuit, "testan-

* Arabica quoque Versio ab Erpenio edita Canones Eusebii habet, qui hîc cum Stephani Waltonique editionibus ita conveniunt, ut toti Evangelio Marci tribuat Arabs numeros *τῶν τίτλων* ولو 236. In Canone octavo quoque habet ولد 235. et in decimo ولد 234. In textu autem, loco citato, ولو 236 ad versum 12. adponitur, cùm Stephanus et Waltonus eum ad versum 14, allocant, adeò ut, secundum eos, ultima pericope versus septem complectatur, quod et sæpiùs occurrit. Vide Proleg. Millii Ed. Kusteri. n. 813, &c.

tur," inquit Griesbachius ad loc. " scholia codicum L. 1. 22. 24. 34. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 108. 129. 137. 138. 143. 181. 186. 195. 199. 206. 209. 210. 221. 222. et Victor, &c." et 2. Codicem hunc, Editionem Eusebianam secutum esse credere licebit, eo quod Versio Syriaca Peschito, quam et ab Eusebianâ Editione factam fuisse, arguit ipse Vir Reverendus, pericopen quoque sistit. Neque 3. dixit Hieronymus, eam à Codicibus Palæstinensibus abesse, verum " *in raris fertur Evangeliis omnibus* GRÆCIÆ LIBRIS *penè hoc capitulum in fine non habentibus.*" In Græciâ, ut Vir Reverendus ipse loquitur, exemplaria authentica servata sunt: illùc codices corrupti Eusebiani non pervenerunt: attamen, si Hieronymo fidem adstruere liceat, in ipsâ hâc regione Exemplaria curtata inventa sunt; non in Palæstinâ. Quid demùm? Pericopen in MSS. nonnullis exstitisse, numeris autem Eusebianis haud notatam lubentissimè largior; mihi tamen verisimillimum est, Canones ipsos casu fuisse decurtatos. Quùm enim textus Palæstinensis ipsam pericopen complectus esset, cur Eusebius Canones suos ad eam non extendisset, sanè non video: neque verisimile est, Eusebianos canones ibi ad numerum 235 aut 236 exsurrexisse, nisi et Eusebius ipse, eos eo usque protulisset.

VIII. Aliam reatûs causam affert Vir Doctiss. in Eusebium his conceptam verbis: " Nor is the case materially different with respect to John viii. 1—11, which contains the account of the woman taken in adultery.... It has besides internal evidence of authenticity in the testimony of the Vulgate, in which it is uniformly found; and external, in the express acknowledgement of *St. Chrysostome, St. Jerome,* St. Augustine, and St. Ambrose, that it is genuine.... Eusebius has however omitted all reference to it in his canons.... From these circumstances, I conceive, we may safely infer that Eusebius's copies agreed with his canons in omitting this passage: from which it was withdrawn by him, in strict conformity to the powers with which he was vested by Constantine." (pp. 37, 38.) Ignoscat mihi Lector tam multa describenti: sed ita malui, si fieri potuit, omnem præscidere ansam erroris. Audiamus jam nunc alteram partem. Griesbachius ad locum: " *Nil,*" ait, *definiunt Ammonius et Euseb. in canonibus.*" Τῶν κεφαλαίων *indiculi, Evangelio præfixi, omittere solent, habet tamen codex* 126 *in indiculo* κεφαλ. ι'. περὶ τῆς μοιχαλίδος, *idemque* τίτλος *in marg. notatur codicis reg.* 2863 *ap. R. Simon.*"—Nil ergò definiunt hi canones; quamvis enim codices multi τίτλους omittunt, sunt tamen qui exhibent.—At quid Patres Græci et Latini testati sunt? Adducatur Wetstenius: " *Origenes in Jo.* viii. 22. *Basilius in Moral. R.* 51. *Cyrillus,* CHRYSOSTOMUS, *Apollinaris, Theodorus Mopsuestenus, Cosmas, l.* 5. *p.* 298. *et prol. in Jo. MS. Nonnus, Theophylactus, Euthymius, qui hæc habet:* χρὴ γινώσκειν, ὅτι τὰ ἐνταῦθα, ἄχρι τοῦ· πάλιν οὖν ἐλάλησεν κ.τ.λ. παρὰ τοῖς ἀκριβεστάτοις ἀντιγράθοις ἢ οὐχ εὕρηται, ἢ ὠβέλισαι, διὸ φαίνονται παρέγγραπτα, καὶ προσθήκη, καὶ τούτου τεκμήριον, τὸ μηδὲ τὸν χρυσόστομον μνημονεῦσαι αὐτῶν. *Catena à Corderio edita, et M. S. in Codd.* 34. 36. 37. 39. 40. *Cyprianus, Juvencus,* AMBROSIUS *in Apologia Davidis de hac historia agens: profecto, inquit, si quis ea auribus otiosis accipiat, incentivum erroris incurrit.*"—Pergit Wetstenius, " *Codices Latini,* BRIXIANUS *et* VERCELLENSIS."—Codices, inquam, quos intemeratos esse, et veterem Vulgatam Latinam incorruptam sistere, quibusque securè inniti possimus, uti vult, næ sexcenties affirmat, Vir Doctissimus F. Nolan. Credit præterea is, locum vel ex contextu necessariò esse authenticum; ex alterâ verò parte stant hi sequentes Viri doctissimi, *Erasmus, Pellicanus, Olivetanus, Cajetanus, Bucerus, Calvinus, Beza, Jansenius, Gandavensis, H. Grotius, H. Hammondus, J. Clericus, et ipse Wetstenius,* qui stylum Johanneum pericopen sapere negat. Hieronymus tamen testatur locum ipsius diebus exstitisse, dicit enim, " *in multis et Græcis et Latinis codicibus invenitur de adultera muliere:*" sed cum hoc dixerit, ni fallor, subinnuit et eum à multis abesse. Augustinus quoque, ut et Vir Reverendus verba ejus exhibet, locum exstare testatur; postquam enim eum enarraverat, subdit: " *Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicæ, vel potiùs inimici veræ fidei, credo metuentes peccati impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulteræ indulgentiâ Dominus fecit, auferrent de codicibus suis.*" —Quamvis, tamen, haud magni facerem conjecturam Augustini hâc de re loquentis, ejus nihilominùs sententiam notatu dignam non possum non existimare: si enim is, lacunam hanc ab Eusebio primitùs prodiisse credidisset, quare id apertè non affirmâsset, divinare nequeo; vel, si ab Heterodoxis, causam nullam fortassis excogitari potest, cur id palàm non dixisset. Mihi tamen Augustinus innuere videtur, non Heterodoxos, sed Orthodoxos, vel potiùs ii qui orthodoxi haberi voluerunt, hanc corruptionem primò molitos esse, pericopenque suo loco amovisse. Doctissimum igitur Virum F. Nolan, hâc de re ita disserentem, non possum quin existimem oppidò fuisse falsum.

IX. Aliud præterea argumentum Viri Doctissimi, hâc de re, proponendum duco: " In reasoning on a particular passage of scripture," inquit ille, (p. 93,) he (Epiphanius) distinguishes two species of text; one of which was rectified, and the other left unrectified, by the orthodox.... that revised by the latter (Eusebius) certainly retained the passage: for it is expressly referred to in his canons.... The edition of Eusebius consequently differed from the corrected copies of the orthodox, published in the days of Jerome and St. Epiphanius." Plures, inquam, hîc latent errores, quàm quispiam primo intuitu facilè crederet. In primis, duæ sunt citationes ex Epiphanio laudatæ; prior, ἔκλαυσε *ploravit,* quæ olim apud Lucam exstitisse testatur Epiphanius; altera quæ, maximam partem, nunc quoque in Evangèlio Lucæ reperitur. sc. Luc. xxii. 43. 44. De priore agit Epiphanius, cùm eum de posteriore agentem exhibet Doctiss. Nolan. Locus ita se habet, " Ἀλλὰ καὶ ἔκλαυσε, κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκὰν Εὐαγγελίῳ, ἐν τοῖς ἀδιορθώτοις ἀντιγράφοις, καὶ κέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ μετὰ αἱρέσεων, πρὸς τοὺς δοκήσει τὸν Χριστὸν πεφηνέναι λέγοντας. ὀρθόδοξοι δὲ ἀφείλοντο τὸ ῥητὸν, φοβηθέντες, καὶ μὴ νοήσαντες αὐτοῦ τὸ τέλος, καὶ τὸ ἰσχυρότατον. καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἵδρωσε, καὶ ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡς θρόμβοι αἵματος, καὶ ὤφθη Ἄγγελος ἐνισχύων αὐτόν." Quem ita reddo, malè enim redditur à Dionysio Petavio. *Sed et* PLORAVIT: *ponitur* (locus) *in Evangelio Lucæ, in exemplaribus incorrectis; testimonioque* (hoc) *utitur sanctus Irenæus in* (Libro) *illo contra hæreses, in eos qui dicunt Jesum visui* (modò) *apparuisse* (i. e. Docetæ.). *Orthodoxi autem dictum illud* (i. e. ἔκλαυσε) *amoverunt, timentes, neque scientes, finem* (sive scopum) *ejus. Illud præterea* (adhuc) *validissimum:* (sc.) *et factus in ἀγωνίᾳ sudavit, sudor autem ejus factus est sicut guttæ sanguinis: et apparuit Angelus corroborans eum.*" Epiphanius hoc loco loquitur de Christi Deitate, et de iis in Scripturâ sacrâ locis, quæ hanc stabiliunt. Hæretici ex adverso objiciebant, quod is sc. ceu Deus patiens esse non potuit. Epiphanius hanc objectionem insulsam esse affirmat dicitque, Christum hunc in finem carnem induisse. Citat denique loca nonnulla hùc facientia, quorum ἔκλαυσε *ploravit,* est unus: et hunc, subdit, orthodoxi, ignari quorsùm tendebat, sustulêrunt. Posteà locum alium citat, sc. Luc. xxii. 43. 44. quem et validissimum ad hoc firmandum argumentum suppeditare asserit.—Locus igitur ab ORTHODOXIS sublatus, non est Luc. xxii. 43. 44. sed vox ἔκλαυσε: arguit autem F. Nolan, acsi Luc. xxii. 43. 44. ab orthodoxis fuisset ablatus, quod tamen minimè dixerat Epiphanius; et quum ille ostendisset locum huncce in textu, cui Canones Eusebiani parati fuerunt, adhuc exstare; concludit, eundem ab orthodoxorum exemplaribus abfuisse, atque adeò exemplaria orthodoxorum ab Eusebianis discrepâsse. Atqui, ut argumentum ille suum firmaret, demonstrandum fuit, Exemplaria Eusebiana ab Orthodoxorum discrepâsse in voce ἔκλαυσε. Altera quoque subest hallucinatio. Epiphanius in eo est, ut dicat ORTHODOXOS, non Arianos sive heterodoxos, vocem hanc sustulisse, eosque errore deceptos hoc fecisse. Arguit F. Nolan aesi Heterodoxi,

vocem sustulerint, atque indè Scripturas corruperint: dicit enim, "The edition of Eusebius consequently differed from the corrected copies of the Orthodox;" cùm dicere opportuit; "The edition of Eusebius consequently differed from the CORRUPTED copies of the orthodox:" cum manifestum est Orthodoxos, secundum Epiphanium, Exemplaria sacra corrupisse, non Eusebium. Iterum in pag. 103. ad hunc ipsum locum recurrens, arguit Vir Reverendus: "It is certain, that the orthodox, little satisfied with this edition, republished a revisal." Sed quis Orthodoxorum hoc dixit? Certissimè non Epiphanius: neque ex Patribus quisquam, ni valdè fallor. Ad alterum locum quod attinet, nemo fortassè dubitabit eum esse memoriter laudatum: in Evangelio Lucæ enim ita se habet. v. 43. *Ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν.* 44 *Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ, ἐκτενέστερον προσηύχετο. ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες (καταβαίνοντος) ἐπὶ τὴν γῆν.* Epiphanius autem ita locum exhibet: *καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἱδρωσε, καὶ ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡς θρόμβοι αἵματος καὶ ὤφθη Ἄγγελος ἐνισχύων αὐτόν.*" Versus in primis transponit; deindè ejusmodi varietatis lectiones usurpat, quæ è textu oriri nullo modo possunt, ut et quisque eas conferens statim videbit. Non est, igitur, ut hinc hujusmodi varietatem in recensionibus quibusvis perquiramus; locus enim memoriter adductus est, atque valdè mancus. Lectio *ἔκλαυσε* jamdiù evanuit; neque is sum ego, ut cum Epiphanio crederem, eam à textu perperàm fuisse expulsam. Vitiosa omninò est: judicibus, et meritò, ipsis orthodoxis. Nullam, itaque varietatem expiscari potest Vir Reverendus hoc ex loco; vox quippè de quâ sermo est, ab omnibus pariter exemplaribus exulit, tum Eusebianis, tum Orthodoxis. Locus alter, textum ipsum non sistit; nulla igitur ex eo varietas stabiliri potest.

X. His expensis nemo, opinor, id sibi pro rato compertoque duxerit, Eusebium sc. aut datâ operâ, aut quovis alio modo, Scripturas Sacras olim defœdâsse: hoc certè Vir Rev. non demonstravit: Veteres non affirmârunt: lectiones ipsæ in operibus Eusebianis hinc indè hodieque reperiundæ minimè probant. Hypothesin verò illam, Nos sc. pedes in Editiones Latinas, Vercellensem Brixianamque, tutè figere posse, meritò missam facimus; eæ namque, uti et suprà observatum, Viro Reverendo commendatissimæ esse non possunt; neque nos, eo usque in hâc re hospites esse profitemur, ut in verba Magistri cujuslibet, reipsâ haud exploratâ, jurare possimus.

XI. Misso igitur reatu conjecturali Eusebii, ad quæstionem de Codicum familiis demùm redeamus. Dixerim equidem, et ex argumentatione ipsius Griesbachii, definire sc. ad quam familiam lectiones perplures, nedùm Codices, pertineant, res adeò est periculi plena, ut quis prudens id tentare vix audeat. Non enim Codices modo, nunc ad unam nunc ad aliam familiam, se accommodabunt; sed et Versiones nonnullæ libero omninò pede vagabuntur, nunc huic nunc illi semet adjungentes. Ad hæc, Patres, nisi cùm textum conceptis verbis se laudare profiteantur, litem componere nusquam poterunt; allegationes namque ab iis factæ, inter se sæpenumerò pugnant, adeò ut unus atque idem Pater, duas pluresve ejusdem loci lectiones proferat. Neque, cùm ii textum ex professo laudant, statim definire poterimus, numnam hujusmodi lectio genuina esset necnè; ultra namque omnem dubitationis aleam jamdudùm positum est, lectiones non modo quasdam vitiosas in textum, etiam in eorum diebus irrepsisse; verùm, ut et Millius sæpiùs affirmavit, textum hodiernum ex eorum scriptis defœdatum nonnunquam esse. Codicum igitur familiis inter se pugnantibus, Lynce perspicacior erit is, qui eorum lites ex Versionibus, Patribus, Scholiis, dirimet: næ Hercule fortior, felicior, longéque famosior, evadet. Ingeniosæ illæ familiarum fabricæ, uti mihi videtur, in unum tantummodo finem feliciter exstructæ sunt; ut sc. rem in seipsâ haud valdè obscuram, tenebris Ægyptiacis obscuriorem reddant; Editoresque eos, qui se omnia rem acu tetigisse putent, supra mortalium labendi statum, nescio quantum, evehere.

Quæ suprà de Codicum familiis dicta sunt, nimis protervè prolata putabunt fortassis quidam. Esto: veritatem assequi tantummodo conatus sum: cùm dies tandem meliora dederit, in istis lubentissimè acquiescam. Audiamus tamen, quæ Vir Doctissimus, et in hâc palæstrâ facile princeps, nuperrimè protulit: "Doctrinam," inquit "de textûs Novi Test. recensionibus diversis s. familiis melius vocatis, etsi non tollendam, finibus tamen arctioribus circumscribendam ac paulo parcius cautiusque, quam a Griesbachio factam videmus ad crisin ipsam adhibendam esse ingenue profitemur. Ut ea res plerumque solet exerceri, non tam ingeniosa quam mechanica videatur occupatio; et qui strenue hanc viam sectetur, eum variis mox irretiri erroribus, omninoque scientiam criticam multifariam cohiberi necesse est. Si in universum constat, neminem unum unquam fuisse censorem Alexandrinum, Occidentalem, Constantinopolitanum, si nullus liber manu scriptus nullaque versio certam aliquam textus definiti conditionem, quam familiam seu recensionem appellant, accurate et constanter reddit, contra omnes vel vetutissimi aliqua signa ceterarum quoque familiarum monstrant,* si omnino certo vix possit doceri, in quanam re singularis natura atque indoles uniuscujusque dictarum recensionum consistat et quo quæque modo a reliquis discernatur, si statutum firmiter non habes, quot qualibusque lectionibus singularibus opus sit, quo nova quædam formetur atque agnoscatur familia, siquidem cuncta familiarum omnium monumenta non puras illas, sed plures minusve, ut loquuntur, deformatas atque invicem confusas præbeant recensiones: unde, quæso, rem ipsam demonstrandam probabis? Nonne videberis veri quadam specie magis quam vere et a priori, quod dicunt, potius, quam ex cauta monumentorum veterum observatione, i. e. ex re et facto statuisse? Nonne, quæ opinioni tuæ semel conceptæ adversentur, diceris consulto occultasse, quæ faveant, cupide explicuisse? Num distinctius definies, quid sit recensio s. familia, et ubi locorum inveniendæ sint recensiones laudatæ? quid revera proprium Alexandrinæ, Occidentali, Byzantinæ testium familiæ, quo internosci tuto atque invicem secerni ubicunque possint? Id quidem nemini, opinor, dubium est, inter tot Novi Testamenti codices et versiones alios magis, alios minus vel similes vel dissimiles videri, ideoque in classes quasdam dispertiendas esse. Alii enim aliorum vera antigrapha sunt, exemplar suum perfecteque reddentia: alii ex eodem, cuncti loco, e. c. ex una eademque ecclesia matre, ex eodem monasterio, ex eadem schola ejusdem doctoris, quasi ex communi fonte provenerunt, et revera cognati sunt ita, ut, quamvis numero multi, in eo tamen, quod rem efficit, unum duntaxat omnes testem juncti agant. Verum enim vero diversas istas textus formulas per temporum decursum casu magis quam consilio et fine (haud fere aliter ac Novi Test. canonem ipsum) paulatim enatas esse persuasum tibi nobiscum habeas; quarum quidem faciem et habitum non ratione ac via a quopiam concinnatum recensionem vix apte appellaveris. Licet enim largiamur, passim aliquem in nonnullis contextum sacrum tentasse atque immutationes quasdam leviores subinde facere ausum esse, hoc tamen quantum absit ab universorum

* "Codicem B. Vat. constat, in evangelio Matthæi exceptis aliquot postremis capitibus, referri ad Occidentalem, in reliquis vero libris ad Alexandrinam recensionem: codicem A Alexandrinum tribus familiis attributum audimus: (Cf. Griesb. Prol. p. lxxiv.) immo codex D Cant. et lectiones interdum et linguæ formas monstrat, quæ tantopere à recensione Occidentali, cui assignatur abhorrent, quantum testibus aliarum familiarum consonant; ac similiter alii. Lectiones *Ως δὲ παρεγίνοντο, ἐτελέσθησαν* Luc. ii. 6. *τῷ γὰρ μέτρῳ μετρεῖτε* Luc. vi. 38. fin. alibique similes meliorem Græcitatem monstrant, quam textus receptus, ideoque Alexandrinus esse putes; sed reperiuntur in libris ad Occidentalem recensionem relatis. (Cf. Griesb. Prol. p. lxxiii.)"

librorum lectionis confirmatione factaque ad certam normam censura, in confesso est. Distinguendum igitur ubique inter variantes horum librorum lectiones casu fortuito ortas et eas, quas de industria ad certum aliquem scopum ac finem introductas deprehendimus. Illarum haud dubie multo major copia, sed ad dispiciendas terminandasque codicum familias seu recensiones nullus fere usus." (Pref. ad N. T. D. Schulz, Berolini 1827. p. xxxii. &c.)

XIII. Hæc prolixiùs dedi, quia maximi mihi esse momenti videntur, et rarum philosophandi Germanicum præbere specimen: ii enim, plerumque, præsertim in rebus ad textum sacrum spectantibus, quo difficultatibus semet implicatiores, altioresque suprà vires humanas exsurgere ostentent, eò sapientiores omnibusque commendatiores evasisse credunt. Alii tramiti omninò insistit D. Schulz: difficultates is videt, speciosos doctrinæ obtentus dilluit, remque in vero suo statu impensè, aptè, disponit. Codices in classes quasdam redigendas proponit; atque, cùm varietates casu quàm consilio potiùs ortas fuisse arguit, cautè in iis seligendis agendum optimè suadet.

XIV. Posito igitur, lectiones, sive è codicibus MSS. sive operibus Patrum, sive denique Versionibus antiquis, erutas, in classes quasdam redigi tum posse tum debere; expendendæ jam veniunt leges, quibus genuinas dijudicare, atque in textum relegare, possimus.

XV. 1. Ea lectio pro genuinâ habenda est, quæ, cæteris paribus, testium numero majori commendatur. Concesso enim, lectiones cujusvis classis, ut plurimum, pro teste uno tantum haberi debere, et labor singulas expendendi indè optimo jure imminui posse; si tamen classes ipsæ inter se testium numero discrepent, cùm certò scire, nedum affirmare, neutiquam possimus, annè hujusmodi lectiones ab uno quodam Codice ceu duce, descriptæ sint; ea lectio meritò præferatur, cui testes plurimi sua suffragia dederint. Quæ excipiendæ sint, ex internâ lectionis indole provenient; et eæ nunc considerandæ sunt.

2. "Insitâ sua *bonitate*," inquit Griesbachius, "commendatur lectio, quæ *vel* auctoris cogitandi sentiendique modo, stylo, scopo, cæterisque *περιστάσεσι* sive exegeticis, ut contextui, adjunctis, oppositis etc. sive historicis omnium (est) convenientissima." Hucusque optima sanè est lex: at cum addit Vir doctus; "*vel* ita comparata est, ut ea, velut primitiva, posita, facile intelligi queat, quomodo cæteræ lectiones omnes sive librariorum errore, sive scribaram, grammaticorum, commentatorum aut criticorum inepta sedulitate, progenitæ ex illa fuerint;" nimia profert: bona enim lectio, conjectandi arte minimè firmatur: suspiciosa indè rejicula esse fortassis deprehendatur.

XVI. Plures tamen dari possunt leges, et plures dedit Griesbachius; at valdè mihi dubitandum est, an hæ rem magis turbabunt, an faciliorem reddent. "Brevior lectio," inquit, "præferenda est verboiori." Dixerim, meliùs esset judicium hâc de re ex Auctoris ipsius cogitandi sentiendique modo, stylo, scopo, cæterisque ferre, quam legem primariam exceptionibus hujusmodi enervare. At cùm Vir Doctissimus hæc præterea habet: "etiamsi testium auctoritate inferior sit altera, præferenda est, a. si *simul durior, obscurior, ambigua, elliptica, hebraizans* aut *solœca est*, b. si *eadem res variis phrasibus* in diversis codicibus expressa legitur, c. si *vocabulorum ordo inconstans est* et *instabilis*," Quis talem legislatorem tolerare potest? Hoc est, ni valdè fallor, legem suam primariam de Auctoris mente styloque penitùs pessundare, scriptaque Evangelica quàm *obscurissima, inconstantissima*, atque *σόλοικα*, invitis eorum Auctoribus, reddere. Concesserim equidem, breviorem lectionem in locis nonnullis, qualia sunt pericoparum sive *ἀναγνωσμάτων* ecclesiasticorum initia, verbosiori esse præferendam; atqui hæ, melius è codicibus ipsis vel etiam versionibus antiquis, contra Lectionariorum auctoritatem, redarguendæ sunt: largiar, et in locis, è parallelis, aut interpretamentis verisimiliter adauctis: sed hîc admodum cautè agendum; parallelismum enim sæpiùs subolet textus ipse genuinus, tum Veteris tum novi Testamenti; neque interpretamentis suis ubique caret. Pari ratione de lectione ampliori; auctoritates enim ipsæ sunt primò consulendæ, deindè, ut hæ nobis agendum submonuerint, omninò agendum erit.

XVII. Alias leges mihi duntaxat improbandas fert Vir doctissimus:—"*Difficilior* et *obscurior lectio*," inquit, "anteponenda est ei, in qua omnia tam plana sunt et extricata, ut librarius quisque facile intelligere ea potuerit." Et rursus: "*Durior lectio* præferatur ei, qua posita, oratio suaviter leniterque fluit."..."*Insolentior lectio* potior est ea, qua nil insoliti continetur....Inter plures unius loci lectiones ea pro suspecta merito habetur, quæ *orthodoxorum dogmatibus* manifestè præ cæteris favet." Hæc, meâ qualicunque sententiâ, non modo sunt nimia, utpotè legi ejus primariæ adversantia; sed et oppidò lubrica, periculosa. Quæstio est, ut plurimum, purè historica; et ubi ad interna provocatum fuerit, Philologia quam Theologia citiùs quæstioni satisfaciet, et satisfacere debebit. Est sanè fidei analogia quædam in his minimè spernenda; sed, utcunque res se habuerit, hæc nusquam erit infracta; hoc est, quam demùm lectionem sequaris, ut nostra hâc de re experientia fert, fides Christiana intemerata manebit. Ad hæc, fides è textu formari debet, non textus è fide. Multiplicatio præterea hujusmodi legum, hoc detrimenti omnibus suggeret: quod sc. Editor quivis, cùm tot sibi fugiendi rimulas apperuerit, lectiones quascunque pro sententiâ suâ textui inferre poterit: quippè qui ad legem unam aut alteram suam perfractè appellet; et, si hostem evincere haud potuerit, alios tamen quo faciliùs deciperet, id sibi abundè subministraverit. Quinimò concesso, hujusmodi Editorem virum esse bonum, atque textum quàm sincerissimum evulgare decrevisse; atqui, cum necessè sit, eum aliquas anteà sibimet formâsse opiniones, et de locis nonnullis sententiam quandam tulisse, Qui fieri poterit ut, tot sibi legibus impositis, iisque in multis parùm definitis, ad opinionem suam præjudicatam non propenderet, cùm demùm eò perventum fuerit, ut occasionem hujusmodi nactus esset? Non dixerim hoc esse verisimile tantummodo, verùm etiam et ab ipso Griesbachio in nonnullis factum. Nunc demùm ad locum unum et alterum illustrationis gratiâ provocare licebit: unusquisque pro semetipso sententiam proferat. In Apostolorum actibus, Cap. xx. 28. has habemus lectiones: *ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ,—τοῦ κυρίου,—τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ*. Prima est textûs, ut aiunt, recepti, cæteræ codicum nonnullorum. Lectio textûs recepti, omni procul dubio *insolentior, durior, difficilior*, auctoritatibus spectabilibus omninò gaudet: secundum leges quasdam igitur Griesbachianas ea anteponenda est. Alia tamen lex reclamat:—*Orthodoxorum utique opinionibus apertè patrocinatur*: è monachorum cerebellis enasci potuit,—quod et omni lectioni genuinæ objectari potest. Sed et aliud obstat; Codices sc. qui hanc lectionem tuentur, *internâ bonitate* minimè pollent: quæ et ipsa legibus hisce confligentibus, faciléque detorquendis, dijudicari tenetur! Ad meam quod attinet sententiam, lectionem receptam genuinam esse credo, his præcipuè ductus rationibus.

XVIII. Hanc lectionem tuentur Codices Græci spectabiles, ad minimum quatuordecim:—Versiones Syræ Peschito et Philoxeniana, illa in textu in Codicibus Manuscriptis tribus pervetustis, quorum duos ipse detexi; hic in omnibus adhuc collatis:—Vulgata Latina in multis Codicibus:—Patres nonnulli tum Græci tum Latini; et Scholiastes Græci quidam. Reclamat tamen Griesbachius, affirmatque Codices hosce Græcos esse *recentiores* et *penitùs contemnendos:* perquirendum igitur quibus innixus rationibus, sententiam illam suam protulerit Griesbachius.

XIX. "1. Codex 4," inquit, "seculo demum 15 scriptus, ingentem continet variantium, singularium etiam, numerum, partim optimarum, partim manifestò repudiandarum." Sed,

judice ipso Griesbachio, Codex nullus has ab causas rejiciendus est; neque singularis quævis ejus lectio. "Textus," inquit, (Prol. p. lix.) "ipsius potiùs quam librarii ætas indaganda est." ..." Hoc non ita est accipiendum (i. e. de nativa lectionis bonitate), acsi codex, *certo quodam vitiorum genere passim* commaculatus, *nullius planè sit auctoritatis.*" (p. lxx.) "Hujusmodi codex nihil valet in eo lectionum genere, quod interpolationis suspicio attingit; *in cæteris ingens habere potest pondus.*".... "Talis codex per se quidem et solus exiguæ aut dubiæ saltem est auctoritatis; attamen, si lectio insigniter sit bona, et *aliorum testium* antiquorum et gravium, *quamvis paucorum*, suffragia accedant, consentiens illius codicis testimonium *pro nullo haberi neutiquam debet.*"...Codex, igitur, non est rejiculus, eo quod sæculo 15 exaratus fuerit: neque quia lectiones nonnullas singulares sistat, præsertim cum testes habet graves secum facientes.

XX. 2. Pergit Griesbachius: "Cod. 7, rarò excitatur. Sicubi apparet, vel *magno codicum comitatu* stipatus est, vel additamenta exhibet sibi peculiaria." Nemo judicârit codicem esse pravum, eo quod magno aliorum stipatus esset numero sive testium secum conspirantium: neque, quod rarò excitetur: neque denique, quod additamenta nonnulla exhibeat. Neque id dixit Griesbachius, insinuat tantummodò.

XXI. 3. "Cod. 12 et 23. *pænè* pro non collatis habendi sunt, eamque ob causam *auctoritas eorum nulla esse potest.*" Dixerim, hoc socordiæ collatorum vertendum, ni valdè fallor, non malæ fidei codicum: si enim ii vel hoc loco inspecti fuerint, et hanc lectionem sistere reperti, id unicuique de testimonio saltem eorum satisfacere debere: cætera ad rem nil faciunt.

4. "Codex 22 quantum è paucis, quas novimus, lectionibus judicare licet, codicibus 4 et 37. cognatus est. Idem Jac. 4. 15. loco κύριος solus habet θεός."—Sed, neque indè, quantum ego videre possim, vel ipso Griesbachio judice, damnandus est hic codex.

5. "Cod. 25. melioribus, nec tamen optimis, accensendus est."..." Nunquam ferè consentit cum iis codicibus, qui h. l. θεοῦ legunt, *sed ad familiam pertinet aliam.*" Hic igitur Codex melioribus accensendus, minimè contemnendus est: et, cùm ad aliam omninò pertineat familiam, testimonium ejus supra omnem suspicionem ponendum est. Audiamus legem: "Attamen lectio valdè bona, in compluribus versionibus et Patribus reperta dummodo codicum nonnullorum vetustorum et insignium, quantumvis paucorum, consensu firmetur, nequaquam spernenda est, præsertim, *si codices illi è diversis oriundi sint recensionibus.*" Ostendam posthâc, lectionem hanc esse *valdè bonam.* Codex igitur 25. haud contemnendus lectionem nostram tuetur; et, cum is diversæ sit omninò recensionis ab aliis qui textum quoque sistunt, auctoritatem textui haud vulgarem attribuat necessè est.

XXII. 6. "Codex 37." inquit, "glossematibus et putidis interpretamentis passim interpolatus est." Esto.—Atqui textum bonum hujusmodi glossis deformari potest, quod et abundè concessit noster. Quæstio non est de locis manifestè interpolatis; sed an locus noster textûs genuini pars est, necné. Hæc omnia sanè speciosa sunt et Griesbachio valdè indigna.

XXIII. 7. "Codices vindobonenses 64 et 65. perrarò melioris notæ lectionem suppeditant, nisi forte in permultis eadem reperiatur libris." Id est, si rectè mentem Griesbachii assequor, Codices hi perpaucas lectiones bonas, easque sibi *omninò proprias*, sistunt: lectiones bonas utique sistunt, sed aliorum stipati sunt comitatu cùm id fecerint. Majorem laudem codici cuicunque tribuere fortassis nemo potest; et quî hoc dicere potuisset Criticus nôster, ut Codicum horum æstimationem deprimeret, equidem capere non possum.

XXIV. 8. "Codex Upsaliensis 68, interdum quidem cum optimis libris consentit, ab his verò ubi in Actis (velut hoc loco) discedit, consonat ferè cum eo Theophylacti textu, quem Finetus secundo loco in sua operum Theophylacti editione exhibuit, &c." At nemo hoc in Codicis hujus detrimentum factum existimaverit, nisi is qui omnia bona pariter ac mala in capitis cujusquam periculum vertere decreverit.—Et hæc sunt argumenta palmaria, quæ Criticus peritissimus contra testes præcipuos hanc lectionem tuentes adduxit, adductaque vi omni suâ urgere perrexit. Qualia ea aliis videantur, sanè nescio: ad me quod attinet, non possum non ea valdè exilia censere, atque patroni potiùs conatus, quàm Critici veritatem assequi conantis tentamina, subolere.

XXV. Lectionem κυρίου missam facio, utpotè quæ interpretamentum sapit, quamvis et Codices nonnulli eam sistant. Ex suprà dictis patebit, sententiam meam qualemcunque esse, lectionem τοῦ θεοῦ esse genuinam. Credo præterea lectionem κυρίου καὶ θεοῦ, primæ interpolationis speciem præ se ferre, non modo quod interpretamentum sapiat, eo demum fine factum ut duritiem sententiæ αἷμα θεοῦ elevaret; sed quia pars major Codicum hodiè collatorum, hanc lectionem ceu receptissimam in Ecclesiâ exhibet. Hujus generis, ni valdè fallor, est lectionum variantium pars longè maxima, earum sc. quæ sponte cusæ esse videntur; lectiones nimirùm genuinas exhibent, Librariorum putidis interpretamentis adauctas; et si ita res se habeat, Codices hi in testimonium pro lectione θεοῦ omninò accensendi sunt; quæ, et hujusmodi auctoritate firmata, pro genuinâ habenda erit.—Posteà demùm lectio durior θεοῦ, et quæ lectoribus philosophicis scrupulo esse potuit, propemodum evanuit; undè, *et codices paucissimi hanc hodie lectionem habent.*

XXVI. Lectio ἐκκλησία θεοῦ, est præterea sua indole insigniter bona. 1. Simplicitatem verè Apostolicam spirat. Ii enim, de quæstionibus metaphysicis seu abstractis minùs soliciti, sententias suas ceu idiotæ verbis rudioribus proposuerunt. De Deo tanquam de Rege bellatore, Heroe omnia sibi subigente, aut demùm Patre summè misericorde, ii locuti sunt. De Christo, ceu Prophetâ, Sacerdote, Rege, eodem prorsùs modo agebant. Eum esse Deum Deique filium apertè testati sunt. Ecclesiam ab eo redemptam, suoque pretiosissimo sanguine sibi propriam factam, asserebant, demonstrabant. Hinc ea Dei, et Christi, Ecclesia nuncupabatur, nunquam Ecclesia Domini: de phrasi αἷμα θεοῦ, ii nusquàm philosophantes non curabant,* eâque usus est Ignatius liberrimè, priusquam Græcanica illa philosophia in ecclesiam textumque sacrum manus suas sacrilegas imposuerat. Sed et vim quandam habet lectio θεοῦ, stylo Paulino, et occasioni fortassè ultimæ, quâ is Doctores Ecclesiæ allocuturus esset, optimè congruentem, præsertim, cum is sat sciret multos brevi surrecturos qui Dignitatem Jesu verè divinam, aut omninò negarent, aut pessundarent. Re igitur perpensâ, non possum quin lectionem hancce genuinam esse crederem, omniumque suffragiis commendatissimam.

## SECTIO II.

I. Alius est quoque locus vexatissimus atque haud minoris momenti, quem ad incudem revocare, paucisque Tironum gratiâ lance criticâ pensitare, operæ pretium fore existimavimus; non eo demum fine, ut omnes omnium Doctorum sententias expendamus, sed ut ea, quæ omnes rescire haud pigebit, coràm sistamus, locumque quantum pro virili possimus, suâ luce collustremus. †

---

* Expendantur omninò loca à Wetstenio è Patribus adducta hîc et ad 1 Tim. iii. 16.

† Qui plura desiderent, Dissertationes Millii, Bengelii, Wetstenii, Griesbachii, cæterorumque qui hanc materiam tractârunt adeant: quæ autem nuperrimè adduxit Episcopus Doctissimus Sarisburiensis, in ejus tractatibus videbuntur. Responsiones verò *Critonis Cantabrigiensis* alterâ ex parte, in Vindiciis ejus Porsonianis, consulendæ sunt.

II. Quæstio est, An Locus 1 Jo. c. v. 7. et verba, sc. ...*ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ.** ...ab Auctore hujus Epistolæ reverâ scripta sunt, necné?—Primò igitur quærendum est: Annè Codices Græci Veteres eum complectantur? Responsio erit: Nulli.—Num Patres Græci? Nulli:—Num Versiones Antiquæ? Nullæ, exceptâ Vulgatâ Latinâ, quæ locum in exemplaribus quibusdam sistit: de hoc posthâc disquirendum.—Num Patres Latini eum exhibent? Aut exhibent, aut demùm exhibere existimantur, de quo etiam perquirendum erit.—Annè denique Editiones Textûs Græci impressæ pericopen habent? Quam plurimæ: sunt tamen, præsertim antiquiores, quæ eam non habent. De his etiam pauca erunt dicenda. Tres tamen Codices MSS. recentiores eam habent: de his etiam nonnulla delibanda venient. Et de his primò. Codex Monfortianus, in Bibliothecâ Collegii SS. Trinitatis apud Dublinenses hodiè adservatus, locum ita proponit: ...*ἐν τῷ οὐρανῷ, πατὴρ, λόγος, καὶ πνεῦμα ἅγιον, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Καὶ τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ....* Præterea in versu 6. habet *ὅτι ὁ χριστός ἐστιν ἀλήθεια*, pro *ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια*: necnon in 8vo. *πνεῦμα, ὕδωρ, καὶ αἷμα*, omissis articulis. Plurimi codicem hunc sæculo xv. aut demùm xvi. exaratum arbitrantur, pauci eum ad xii. retrahunt. †

III. Codex alius Berolinensis est, vulgò Ravianus nuncupatus, qui locum nostrum ex Editione Complutensi, ut volunt nonnulli, descriptum hoc modo exhibet:...*ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ καὶ ὁ λόγος καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι καὶ τρεῖς εἰσι οἱ μαρτυροῦντες ἐπὶ τῆς γῆς....* Codex in locis nonnullis editionem R. Stephani tertiam sequitur: non crederem tamen cum Griesbachio, ita refictus ut Librarius fraudem suam celaret, sed potiùs ut textum ad placitum ipsius conformem redderet: et ita statuerem de Codicibus quibusvis Latinizantibus, ut aiunt. Librarii, Patribus vel etiam Versioni Latinæ admodum dediti, sibimet, non posteris, textum adornandum susceperunt: iniquus igitur perquàm is mihi erit, qui eos textûs depravandi in universum reos perageret.

IV. Codex tertius est Codex *Ottobonianus* in Bibliothecâ Vaticanâ adservatus, sub numero 298, qui locum ita habet... *απο του ουρανου, Πατηρ, Λογος, και πνευμα ἁγιον, και οι τρεις εις το ἑν εισι. Και τρεις εισιν οι μαρτυρουντες απο της γης....* In sæculo 14 hunc codicem fuisse exaratum credit Scholzius, qui primò eum è tenebris eruit. ‡

